



**Jubilæum Sæculare Ecclesiæ Catholicæ Per Septendecim
Sæcula Militantis & Triumphantis Contra Idololatriam,
tyrannos, hæreses, schismata, errores, & scandala**

Per Septendecim Sæcula Militantis & Triumphantis Contra Idololatriam,
tyrannos, hæreses, schismata, errores, & scandala ; Ex Annalibus
Ecclesiasticis collectum Pro Xenio Oblatum Academicæ Sodalitati
Dominorum B. Mariæ Virginis Annunciatæ Herbipoli, Anno ...

Herbipoli, 1700

Sæculum Sextum, Continens res in Ecclesia memorabiles, quæ
contigerunt ab anno 500, ad annum Christi 600.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64756)

(I.)



SÆCULUM SEXTUM,

Continens res in Ecclesia
memorabiles, quæ contigerunt ab
anno 500. ad annum Christi
600.

DECAS I.

✻ *Ab anno 500. ad 510.* ✻

501.



Uinto Sæculo revoluto,
& sexto ineunte, Syno-
di duæ celebratæ sunt
Romæ, una in Basilica
Julij, altera in Basilica
Hierosolymitana Sessoriani, in quarum
postrema damnatus est Laurentius Anti-
papa, postquam violentâ irruptione & in-
fano furore in Symmachum & justæ causæ
ejus patrocinantes multum tumultuatus
esset, Symmachus autem objecta crimina
apud Clerum Romanum ita diluit, ut de
invidia gloriosius triumpharet, cujus mo-
destiam & Sanctitatem ipse Theodoricus

A

(quod

(quod admireris in barbaro Gotho & hæretico Ariano) reveritus protectorem se potius quam persecutorem exhibuit, atque præferendum ambitioso & crudeli æmulo significavit.

Constantinopoli Anastasius Aug. populum (qui illum ut hæreticum averfabatur) de more ad Circenses ludos invitatum per satellites suos immisos trucidavit, ac tria amplius, civium millia obtruncavit; felices illos, nisi à capite suo schismate divulsi & Acacii ipsorum antecessoris Episcopi communione labefactati fuissent, Martyrii enim causa non defuit. Quare sibi deinceps Imperator à populo metuens, jussit ut deinceps litanias & supplicationes Evarchus cum militibus armatis sequeretur ad tumultum populi arcendum, quo potissimum ejus impium caput appetebatur.

✽(502.)✽ Hoc anno Quarta Synodus Romæ celebrata est in causa Symmachi, ejusque electio confirmata. Crimen porro, quod per calumniam Sanctissimo Pontifici inflictum fuit, colligitur ex Ennodii apologetico adulterium fuisse, quæ causa postmodum Pontificem & Synodum movit, ut juberent Episcopos omnes secum contubernales Clericos habere, vitæ suæ actionumque testes, ad similes maledico-

rum

rum calumnias amoliendas, vocanturque tales contubernales Cellulani seu Concellanei. In eadem Synodo abolita est Odoacris Heruli sanctio ne Pontifex crearetur sine Regis consensu, additum decretum de non alienandis Ecclesiæ bonis: dictum adversus Anastasium hæreticum Imperatorem anathema: Acclamatus Theodoricus, *Piissimus* vel *Sanctus* licet hæreticus, quòd ejus operâ non tantùm ecclesiæ tranquillitas, sed & libertas fuisset restituta. Additum denique decretum de non alienandis Ecclesiæ bonis.

Ex Symmachi Papæ Epistola ad Cæsarium Arelatensem data de Ecclesiæ possessionibus non alienandis colligi potest Ecclesiasticorum beneficiorum origo: cùm enim Clerici solerent ab Ecclesia per Episcopum mensibus singulis victûs causâ meritam stipem accipere, postea factum est, ut eorum aliquibus Ecclesiæ possessiones quoad viverent ab ipso Episcopo concederentur, quæ Beneficia dici cœperunt, eò quod (ut habet Symmachus in ea Epistola) bene meritis tantummodo ea concedi liceret.

✱(503.)✱ Rursus Romæ coacta Synodus contra Schismaticos & Symmachii

approbationem calumniantes: quibus tamen ipse ignosci impetrat.

Anastasius Imp. qui perenne Ecclesiæ bellum indixerat hoc ipso tempore vix dum à Persis Pacem auro redemerat, eandem à Barthis, qui Pontum invaserant, precio iterum mercari debuit: & cum bellis ferè continuò, novis & novis surgentibus occuparetur ab infestatione Orthodoxorum eousque abstinuit, ut si modicum quietis ab occupationibus bellicis nancisceretur rursus Ecclesiam armatus infestaret.

✱(504.)✱ Celebrata hoc anno Sexta Synodus à Symmacho in qua de Ecclesiæ bonis restituendis, actum est, quæ multi quamvis ex Regia munificentia possidebant: & Synodi sententiam quod mirum videri potest, ita Rex barbarus non ægrè tulit, ut suis quoque ea de re litteris ratam habuerit. Qui etiam sub idem tempus in magos inquiri iussit, cujus criminis quoque Senatorii Ordinis complices inventi fuere ii que urbe expulsi, & alii Romæ igne cremati sunt.

Eodem tempore nova à Rege Vandalo Trasamundo apud Africam persecutio excitata est, qua ducenti & amplius Episcopi in Sardiniam relegati sunt: ex eo factum memorant, ut D. Augustini Corpus clam

ut

ut licuit exhumatum eam in Insulam de-
ferretur : porro inter exilio multatos
Episcopos Sanctimoniâ ac doctrinâ clarior
fulgentius Ruspinae seu Ruspensis Episco-
pus enituit.

Eximia virtutis specimen circa hæc tem-
pora exhibuit S. Galla quæ avis atavisque
Consulibus orta, & deliciis innutrita to-
tam se pauperibus impendit, & cum ado-
lescentula viro adolescente orbata esset, in
monasterium secessit, cumque ei medici
dicerent, nisi ad viriles amplexus rediret
quod calore nimio contra naturam barbam
esset habitura (uti etiam postea factum
est) elegit tamen ipsa hanc deformitatem
potius pati quam nuptiis iterum subiici, &
virile hoc onus usque ad mortem feliciter
sustinuit, quando ab apparente S. Petro ad
cœlestem gloriam evocata est.

(505.) Manlius deposito consula-
tu Romano cum conjugē Sanctioris vitæ
studio nuncium sæculo cum remisisset, ad-
mirationi & exemplo orbi fuit.

Anastasius cum finem non faceret Ca-
tholicos persequendi hoc anno Gothos
Mundone Duce Roman. Imperii ditiones
populantes propulsare armis præter mo-
rem adortus, Sabinianum Consulem in eos

immittit, qui belli aleam subire haud veritus internecone a barbaris deletur.

✱(506.)✱ Hoc anno vivere desit Genoveva Ecclesiæ Gallicanæ insigne decus.

Celebratum concilium Agathense in Gallia Narbonensi Alarico Visigothorum Rege permittente, qui hoc ipso tempore Theodosianum Codicem, visum prius ab Episcopis probatumq; per Anianum Cancellarium suum edendum curavit.

Anastasius magnâ excitatâ à populo Constantinopolitano seditione agitur, propterea, quòd in Palatio suo quædam monstra & ab imaginibus Ecclesiasticis aliena pingi curaverit: ex quo populi Religiosi zelum admireris.

✱(507)✱ Clodovæus Rex Francorum zelo Religionis movet arma contra Alaricum Visigothorum Regem Arianum, quem feliciter vincit manu suâ & occidit, Tholosâ urbe & Alarici thesauris in eâ latentibus obtentis: cui etiam singulari auxilio cœlum militare visum est, quando Engalifmam urbem oppugnaturus & ad invadendam urbem jam parato exercitu muri ejus Hierichuntinorum instar corruerunt.

Turonibus Clodovæus ab Anastasio insignia consulatus accepit & uno die Consul & Augustus salutatus est, in æde S. Martini

tini indutus tunicâ Blatteâ ac Chlamyde & diademate redimitus. Inde Parisios venit, fecitque eam regni sui sedem.

Constantinopoli rursus a populo tumultuatum est, & circus ruinâ & incendio deformatus.

Anastasius Reliquias S. Bartholomæi Apostoli Anastasiopoli, munitione contra Persas ædificata, antea Daris appellatâ, afferri curat, & ideo noctu ab Apostolo monitus, dicente, subvertisse eum custodiâ civitatis suæ, quod ut somnium ipse quidem homo Manichæus sprexit, sed osorem reliquiarum paulò post docuit eventus veritatem, Reliquias autem postea Roma excepit.

✱(508.)✱ Eluxit mira virtus S. Cæsarii Episcopi Arelatensis, quem Gothi detrusum prius in carcerem, inde Ravennam ad Theodoricum sub captivitate miserunt, à quo tamen benignè acceptus & cognita Sanctissimi Episcopi innocentiam remissus est cum magnis muneribus, quæ ipse ad pauperes alendos & redimendos captivos impendit: solitus etiam sacra vasa frangere, quæ famis ac publicæ egestatis tempore melius in pauperum manu, quam in altaribus & Basilicis nitent.

Clodovæus febre vehementer confi-

Status, à S. Severino Monasterii Agaven-
sis Abbate attactu casulæ suæ sanatur. Ideo
Childeberthus Clodovæi filius in Castro
Nantoniensi, ubi vir sanctus postmodum
expiravit, insigne construxit monasterium
sanati patris & grati sui animi nobile mo-
numentum.

✠(509.)✠ Alamundarus Saracenorum
Rex Arabiam & Palæstinam incurfans,
mortales innumeros captivos abduxit, qui
tamen postmodum cum omnium admira-
tione Christiana sacra suscepit.

Refert Anastasius Sinaita, cum apud Da-
masum Saracenus quidam templum S.
Theodori cum aliis viginti ingressus sa-
gittam in ejus imaginem emisisset, & dex-
trum ipsius humerum transfixisset, conti-
nuò sanguinem copiosum è vulnere efflu-
xisse, cumque nihilominus impœnitentes
Saraceni miraculum contemnerent, om-
nes paucos intra dies acerbo morbo dele-
tos esse:

Contigere & alia quædam in Saraceno-
rum grassatione per Palæstinam & Arabi-
am mirabilia circa Monachos præsertim
quorum unus à Leone contra barbaros cu-
stoditus est. Fuit ex Saracenis qui cum
S. Sabæ ferocitus insultasset, terræ hiatu
ab.

Ab anno 500. ad 600.

absorptus est, quibus signis commotus Alamundarus Christo nomen dedit.

Occidentalis Ecclesia, per hoc tempus Catholico Principe aucta est Burgundionum Rege Sigismundo, qui Alcimo Avito Episcopo Viennensi suadente perfidiam Arianam abiecit; & ut ditionem suam eadem peste purgaret, auctor Provinciæ Episcopis fuit, ut Synodum Epaunensem egerent, in qua multa ad Ecclesiasticam disciplinam utilia sancita sunt.

✽(510.)✽ Boëtius hujus anni Consul postquam annis 22. Athenis commoratus esset, Aristotelis opera quæcunque nanciisci potuit, latinitati donavit, & multa insuper suo ingenio elucubravit, de litteris litterarumque Sectatoribus optimè meritus.



DECAS II.

✽ *Ab anno 510. ad 520.* ✽

511. **M**Acedonius Constantinopolitanus Episcopus ab Anastasio Aug. in exilium eijcitur, & additur poenæ calumnia quasi ad Nestorianam hæresin adstruendam eloquii Sacri contextum immutasset; depositio autem hæc & relegatio

A 5

tio

tio tantâ populi seditione peracta est, ut
 foeminæ quoque, ac pueri probra in Au-
 gustum liberrimè jactarent, quo factum ut
 metu ipse percussus navigia ad fugam
 compararet, ad populi autem gratiam
 quâ Episcopo studebat, minuendam novæ
 adhuc calumniæ concinnatæ sunt: nam
 adolescentes quidam suam ipsorum tur-
 pitudinem, quo Episcopi famam læderent,
 profitebantur, hos ita Macedonius redar-
 guit, ut genitalibus se carere membris pa-
 lam ostenderet, ex quo populi in eum stu-
 dia, & odium in Anastasium mirum in mo-
 dum augeri cœpit. Pulso Macedonio se-
 dem Timotheus occupavit, homo incon-
 stans, impurus, & gratiæ Principis omnia
 tribuens.

✱(512.)✱ Anastasius in die Dominica
 cantari jubet ex Pulpito Theopaschitarum
 additamentum de quaternitate: cum verò
 Catholici quidam Cantores Marinum &
 Platonem arguerent, in Ecclesia cæsi sunt,
 quod & alterâ die factum. Itaque in Im-
 peratorem populus exarsit, statuas disje-
 cit, Areobindam Augustum postulavit,
 domos Marini & Pompeii, quos auctores
 pravitatis putabant combussit, Celer & Pa-
 tricius, dum populum placare vellent, la-
 pidatione submoti sunt. Imò universa
 plebs

plebs prælati cruce atque Evangelio Imperatorem adiit, coram illo Catholicam formam occinuit, & duos Cantores feris obijci jussit, Monachum quoque & Monacham quandam Imperatori percharos assentatores duos trucidavit & eorum cadavera combussit, vociferans: *Isti sunt amici hostis Sanctissimæ Trinitatis.* Ægrè tumultuantem plebem placavit Anastasius, consuetis & familiaribus sibi perjuriis promittens ab hæresi cessaturum se esse, tandem placatior aliquamdiu conquievit.

Conciliabulum deinde jussu Anastasii apud Sidonem cogitur, ex 80. Pseudo-Episcopis, in quo magno numero boni Antistites exauctorantur, & Lupi rapaces Anastasii jussu in Sedes intruduntur. Synodus etiam Chalcedonensis damnata nihil plus damni passa est, quam si contra eam in Palude ranæ coaxassent.

✠(513.)✠ Antiochiæ, Severi ejus Ecclesiæ inuasoris magna impietas debacchatur. Fuit Severus ex Ethnico mago atq; venefico Christianus Monachus moxque hæreticus Eutychianus & Ajephalus, qui juramento se obstrinxerat Anastasio, se ipso die quo Antiochenus Episcopus fieret, Chalcedonensem Synodum damnaturum.

Saracenorum Rex Alamundarus, ut Severi

veri & Severianorum legatos errorem suum circa unam personam Christi dedoceret, finxit sagaciter litteras se accepisse de Michaëlis Archangeli morte, cum autem dicerent Severiani hoc impossibile esse, tunc ipse, quomodo igitur, inquit, si duas naturas Christus non habet, crucem Deus pertulit. Si ne Angelus quidem pati quicquam vel mori potest.

Cabades Rex Persarum thesaurum quaerens in Castro quod à dæmonibus servabatur, eos frustra per magos & Judæos depellere conatus est, quos Episcopus Christianus suis sacris facile fugavit. Unde Christianis Rex conciliatus potestatem suis fecit Religionis amplectendæ quam mali genii adeo metuerent, Judæis & Magis verberibus multatis.

DE SEVERO HÆRESIARCHA ET
SEVERIANIS SIVE CORRUPTI-
COLIS ET THEODO-
SIANIS.

SEverus tametsi pro Acephalo se venditaret, nova tamen diversaq; monstra in sinu fovebat & excludebat. Primò negavit Ecclesiam matrem & mysterium Baptismi. Secundò Monachorum Cænobia ferro & igne demolitus est. 3. Dicitur sunt Severiani Corrupticolæ, eo quòd quibusdam Severum interrogantibus, an Corpus Chri-

Christi corruptibile dici deberet. respondit, corruptibile esse, quod idem quibusdam Alexandrinis à Severo percontantibus ex opposito Julianus incorruptibile asseruit, hinc due diverse pullularunt sectæ, Severo adversus Julianum, & hoc adversus Severum insurgente, ita ut Severi sectatores, quos inter Theodosius & Timotheus numerabantur, Theodosiani & Corrupticolæ, & Juliani discipuli Phantasiastæ appellati fuerint. Docuerunt hi Verbum quidem perfectæ naturam humanam à Virgine assumpsisse, ejus tamen post unionem corpus incorruptibile extitisse, & quantumcumq; gravia sit passus, naturæ tamen legibus minimè servivisse, alioquin invitum & non sponte perpefferum fuisse.

✱(514.)✱ Moritur Symmachus Papa, cui Successor datus est post dies septem Hormisdæ Campanus: omni schismatis umbrâ sublatâ, cui Rex Christianissimus Clodovæus cunctorum Regum obsequia præventurus, suggerente S. Remigio, auream coronam transmisit, quo munere regnum suum in Ecclesiæ Romanæ præsidium oppignoravit, & haud diu post ex hac vita migravit, Ecclesiæ secundus Constantinus: cujus regnum quatuor filii diviserunt Theodorico Metis, Clodomiro Aureliis, Clotario sueffionibus, Childeberto Parisiis regnorum suorum fedes figentibus

bus, quæ mox magno Franciæ bono ad unum Principem rediére.

Vitallianus Scytha fœderatorum comes ab Orthodoxis incitatus profitetur se Catholicæ fidei, & Macedonii exulis defensorem contra Anastasium, & interceptis ejus pecuniis armat 60. hominum millia in Hebdomo. Sed perjuriis de more illulus, unde venerat octavo post die recessit atque Odyssam Mœsiæ Urbem occupat, Cyrillum ducem inter duas Pellices dormientem enecat, & Anastasii se hostem profitetur: ferunt tunc cæsa 65. Millia, & Hypatium Ducem captum, multos quoq; ex altera parte Anastasius & Timotheus oppresserunt.

In hoc bello Vitalliani contra Anastasium memorabile illud de Proclo Philosopho & Mathematico excellentissimo & Anastasii intimo ac hoste Christianorum infensissimo: qui Archimedis invento usus, specula Ulstoria de muro è regione hostilium navium suspendit, in quæ cum radii solares Impegissent, ignis ad instar fulminis erumpens classarios ipsasque naves Vitalliani combussit.

✽(515.)✽ Anastasius missâ legatione ad Hormisdam & populum Romanum rogat, ut pacis conciliandæ curam suscipiat.

Mis-

Missos reciprocè ab Hormisda legatos per honorificè sed fucate simul excipit, & Pontificiis Postulatis annuit in iis omnibus quæ sibi ad gratiam populi conciliandam proficua videbantur.

Himeranni Australes sub Persis populi fidem Christianam amplectuntur.

(516.) Anastasius legatos Pontificis diu Spe bonâ dolose & frustra lactatos Romam remittit, & mox Severianum ac Theopompum ad Pontificem ablegat. Pontifex autem qui veteratorias artes Anastasii jam exploratas habebat, statim eosdem remisit, testatus, *opera se, non verba optare* neque Hormisda vanè conjectabat Augustum hac cunctatione tantum uti ad Vitallianum interim exarmandum. Populo siquidem ac militibus in dies segniùs agentibus, Anastasius Vitallianum haud ægrè exauctoravit, & Ruffino obnoxio sibi homini militiæ præfecturam contulit; tum verò liberæ imperii habenas nactus, jam non amplius dolo uti, sed pro libidine sua miscere omnia instituit.

(517.) Hormisda novâ iterum legatione missâ Augusti consilia explorat, ille autem effrenis jam factus devicto Vitalliano legatos aspectu suo prohibet, & urbe excedere iussos navi labefactæ impositos

ritos Græciæ urbes adire vetat, Tyranni exemplum, datâ veluti tessera fidei hostes reliqui mox secuti, in Orthodoxos passim ac præsertim Monachos & Episcopos sævierunt, qui omnes ad Hormisdam ecclesiæ agitatae asylum cum magna fiducia recurrerunt.

Per idem tempus Palæstina universa, quæ ab exturbato Sanctissimo Episcopo Elia quinquennio ferè aquarum indigentia incredibili laboraverat, Sabbæ Abbatis precibus optatam pluviam, cumq; ea pristinam agrorum fæcunditatem recepit.

✽(518.)✽ Hic annus Anastasij postremus & ob redcem postliminio pacem optatissimus fuit. Eo jam processerant populi Constantinopoli seditiones, ut Anastasius simulandi & fallendi peritissimus artifex in circum delatus absque diademate, imperium à se deponendum præconis voce edixerit, dummodo idoneus Successor præsto esset. Hoc veluti aucupio populi gratiam ex commiseratione iterum nactus, insigniorem quemque, ex Catholicis, quasi seditionis auctores, supplicio affecit. Comprehensi ejus jussu cum aliis dicuntur Justinus ac Justinianus, qui post eum imperârunt. Cæterum gladio eorum cervicibus imminente, præter spem omnem

nem

nem tyranno, ut ferunt, inter quietem, ostento quodam perterrefacto, exempti sunt. Eundem alio quoque insomnio ter- ritum sub vitæ exitum memorant, horribi- lis enim viri species illi oblata est librum, manu tenentis, simulque increpantis: *Ex ob tuam improbitatem quatuordecim tibi vitæ annos deleo.* his aliisque terroribus exagi- tatus conjectorem præ cæteris Proclumã adhibuit, a quo, cum consulto oraculo edo- ctus fuisset, igne sibi pereundum esse, ci- sternam regiis in ædibus, multis meatibus aperuit, quorum cuique cadus appositus est; sed hæc frustra cessere, fulmine si- quidem ictus interiit anno principatus sui vigesimo septimo: Dignus cœlesti fulmine percuti, quem Apostolica fulmi- na nequaquam ad sanam mentem revocá- runt. Tyranni mors Eliæ Hierosolymæ Episcopo exulanti eo ipso quo contigit tempore divinitus monstrata est, & simul prædictum decem intra dies ipsum deces- surum, ut Anastasio ante Dei tribunal con- stituto adesse accusator posset: quod ip- sum Flaviano quoque Antiocheno exilio pariter multato contigit. Atque sic tan- dem apud Inferos demerso Pharaone & superatis magnarum persecutionum pro- cellis adverso in littore consistens Ecclesia victoriæ hymnum decantavit.

✱(519.)✱ Justinus genere Thrax ignobili loco natus, & primò operarius, deinde armentarius, vel subulcus vir egregiè Catholicus & fortis per facinora præclara altissimos gradus præfecturarum conscendens ex carcere in solium eductus est, quo imperium post Anastasium mox occupante facie novâ omnia refluere, & ne pax turbaretur Amantius cubicularius spado cum aliis eunuchis, qui Theocrito imperium affectabant, dignâ sceleribus suis morte de medio sublatis sunt.

Hormisdæ legati summo plausu & honore Constantinopoli excepti obtinent hæresum & hæreticorum quotquot tunc grassabantur damnationem ac depositionem de sedibus, in quas lupi rapaces irruerant.

Oritur Constantinopoli controversia Victorem Diaconum & Leontium Monachum affinem Vitalliani inter & Monachos Scythas, utrum dicendum sit, *unum de Trinitate passum esse*, quæ Controversia S. Fulgentio occasionem præbuit scribendi librum de Verbo Incarnato, & tumultum hunc Pontificis auctoritas compescuit, qui hunc novum loquendi modum tanquam suspectum reprobavit, videbantur enim dolosè dicere, omisso personæ

nomine, sicuti Deum, ita divinitatem passam esse.

Alexandriæ Themistius à Severo hæresiarcha deficit, & condit sectam novam Agnoëtarum, Julianus autem Halicarnasæus Episcopus Phantasiatarum.

HÆRESIS AGNOËTARUM SIVE THEMISTIANORUM.

Themistius cæteris Theodosianorum erroribus, quos profitebatur, addidit, Christo Domino supremum Judicii diem incognitum fuisse, inducti in hunc errorem ex eo, quod Christus dixerit, de die autem illo vel hora nemo scit, Sc. Marci 13.

HÆRESIS JULIANI HALICARNAS- SEI, PHANTASIATARUM SIVE APHTHARDICITARUM, INCORRUP- TIBILIIUM, GAJANITARUM SEU GAINITARUM PRINCIPIS ET HÆRESIARCHÆ.

Julianus, ex quo dissidere cœpit à Severo, Sectatorem habuit Gaiantum ex impura Euty-
chetis Schola oriundum, qui cum Christi J. E. S. U. corpus à primo conceptionis momento immortalæ finxisset, omnia quæ de morte ejus ac supplicio Scriptura memorat, fictitia esse dixit, ac Manicheorum simulacrum, Sementitam humanæ nature speciem ex inferis in auris denuò resuscitavit.

✠(520.)✠ Hormisdæ Papa & Justinus Imperator collatâ operâ & mutuo fidei ac Summæ concordiæ vinculo plurimum laborant in hæreticis variarum sectarum ac nominum eiiciendis & compescendis.

Vitallianus anni hujus Consul occiditur, vel ab iis quorum affines interemerat, aut curante Justino cui Imperare volebat. Justiniano data est militum præfectura, quo etiam suadente creditur sublatus Vitallianus.



DECAS III.

✠ *Ab anno Christi 520. ad 530.* ✠

521. Justinianus consulatum magnificè
✠ Jinit 238000. solidorum in populum & spectaculorum apparatus effusis, quibus ad Imperium jam eniti videbatur.

S. Brigida Scota vel Hiberna Virgo moritur (de ejus natalibus populi duo juris sui tenaces acriter disputant) hæc miraculis clara ante & post obitum extitit; hoc celeberrimum est, quod lignum, ex quo confectum erat altare, emiserit folia ad ejus contactum, signum scilicet certissimum ejus illibatæ castitatis.

✠(522.)✠ Magnis incrementis Ecclesia
fia

fia Propagatur ; Thrasimundus enim Rex Wandalorum postquam regnâisset & afflixisset Ecclesiam annis 27. moriens Hilderico Hunnerici filio ex Placidia nato regnũ reliquit , sed adegit prius ad jusjurandum , nunquam se ecclesias Catholicis quamdiu regnaret , redditorum : & hanc quidem juratam fidem Hildericus prudenter servavit , antequam enim regnum adiret , restituit omnes Ecclesias fidelibus , & Episcopos ab exilio revocavit , inter quos etiam rediit S. Fulgentius.

Dunaan Rex Homeritarum (regio hæc est quæ olim Saba dicta, unde prodiit Regina illa Saba Salomonis Sapientiam auditura) omnis conditionis & sexus Christianos renunciare nolentes occidit , & inter eos Aretam virum primarium civitatis Nagrae diro supplicio affecit, quos omnes Ecclesia ut Martyres veros veneratur in odium fidei a profelyto Judæo interfectos. Erat enim Dunaan ex Christiano factus Hebræus, nefandus apostata, qui, cum Nagram urbem à Christianis habitatam diu armis tentâisset , pessimo demum perjurio ingressus rabiem suam in Christianos diris modis laxavit.

✠(423.)✠ Hormisda Papa moritur, in
ejus locum cum totius Cleri consensu sub-
roga-

rogatus est Joannes Etruscus Constantii filius ex Presbytero tituli Pammachii.

Justinus Imperator edictis persequitur hæreticos paganos & Judæos. Gothis autem Arianis propter Theodoricum Regem Italiæ & Gothis confœderatum pepercit. Manichæos capite puniri jubet, quorum multa etiam millia Cabades Rex Persarum trucidat.

Moritur Euphemia Augusta magno detrimento & luctu Ecclesiæ: cui honorificè extrema perfunctus Justinus Theodoram accipit in conjugem, similiter Augustæ titulo insignitam.

Elesbaan Rex Æthiopum partâ divinitus nobili victoriâ Dunaanum cum omnibus suis interemit, & stabilito civili atque Ecclesiastico statu Homeritarum, missôq; Hierosolymam diademate, & relicta Æthiopiæ administratione, cilicio indutus, in monte quodam asperrimam vitam exegit, in se severiùs & diutiùs quàm in hostes Christi animadvertens.

✠(524.)✠ Justinus hæreticorum ac potissimum Arianorum templa quibus hætenus ob fœdus cū Theodorico pepercit Catholicis tradi & consecrari jubet, qui nuncius Theodoricum in furorem egit, & idem Catholicorum Ecclesiis in sua ditione minatus est.

✠(525.) Theodoricus ut suis Arianis consuleret, Joannem Pontificem in Orientem proficisci jubet: hic editis in itinere aliquot miraculis Constantinopolim magno honore ingressus est, ibique Sacrum Pascha latino ritu celebravit. Justinus coram Joanne se prostravit, ab eoque coronari voluit: Multas quoque Ecclesias Arianis ereptas Joannes consecravit, quod signum est hanc legationem tum a Joanne tum aliis tribus legatis obitam Arianis Occidentalibus parum profuisse: namque & legati ad Theodoricum redeuntes in carcerem sunt coniecti, quod idem reduci Joanni evenit in præmium scilicet rei pro Catholicis strenuè & laudabiliter gestæ. Antiochiæ totis sex mensibus sævit incendium cujus mali causa nunquam detecta est, cum ab imbricibus & summis tegulis orta flamma per totam domum descenderet & spargeretur, quod divinitus immisum esse nemo dubitat.

Hoc malum deterius paulò post excepit, quodam die Veneris repens terræ motus inter prædentium ora magnam urbis partem evertit, sinistris mox ventis flantibus, flammisque coquinarum pro tempore æstuantis ruentia inter ædificia commiscentibus, duplex torridum exitium

in-

intulit, atque Euphrasium urbis Episcopum dempto ejus capite flammarum & cinerum obruit sepulchro. Strages hæc calamitosa urbis diu hæreticis prostitutæ eodem tempore quo contigit revelata est Zosimo Phœnici Sanctissimo Anachoretæ, cui etiam aliquando Leo, cum ejus asellum devorasset, in ferendis sarcinis asini ministerium præbuit.

Maria Ægyptiaca perditissima meretrix facta est cum pluribus aliis ejusdem libidinis fœminis pœnitentiæ & conversionis exemplum, tantæ dignitatis ut etiam Leo eidem post felicissimum obitum sepeliendæ tumulum miraculosè effoderit.

✽(526.)✽ Joannes Papa detentus in vinculis Ravennæ à Theodorico ærumnis confectus obit, cui post dies 58. successus est Felix IV. & quidem dignissimus (Deo sic disponente) ut à Rege Theodorico jus sibi eligendi impiè arrogante talis qui dignus præ omnibus esset in Cathedra veritatis collocaretur.

Furens Theodoricus, qui per triginta tres annos regni sui benè meritus erat de Ecclesia, nunc immaniter fœvit in Catholicos quos inter Boëtium & Symmachum illius socerum, falsò accusatos restituere

velle

velle Romanam rempublicam, capite truncari jubet. Memorant Boëtium capite truncato spiculatori locutum esse & impietatem exprobrâsse, atque caput ad vicinam Ecclesiam detulisse. Fuerunt hi duo viri Orbis Romani facile principes spectatâ seu generis nobilitate seu doctrinâ. Haud multò post cum Theodorico discumbenti appositum esset ingentis piscis caput, visus est sibi videre Rex fanaticus Symmachi caput, quo territus ostento paulò post inter suorum manus expiravit, morte quæ ab hæretico tyranno & atheo exspectanda erat. Ejus animam à Joanne Pontifice & Symmacho in voraginem igneam præcipitari monachus quidam in Lipara Insula vidit.

Successit nepos Atalaricus Amalsuinthæ filius octennis à matre optimè educandus nisi Gothorum feritas obstitisset, negantium, hunc fortem fore quem ferula terruisset.

Sigismundus Burgundionum Rex Sigyricum innocentissimum filium ex Gotha uxore susceptum instinctu novercæ necat. Moxque agnito errore & culpâ suâ severam pœnitentiam agit.

✱(527.)✱ Justinus vocat in confortium Imperii Justinianum, ætatis annum 45.

B

agen-

agentem: moritur Paulò post Justinus ex-
 ulcere pedis sagittâ vulnerati in prælio,
 quo mortuo Justinianus multa laudabiliter
 disponit in favorem & incrementum Ec-
 clesiæ, & ad stabiliendum imperium, (va-
 riis fundamentis pietatis prius jactis) Per-
 sarum Regem Gabadem justo bello aggre-
 ditur, & feliciter oppugnat, donec Gaba-
 de Patre defuncto cum Cosrhoë filio iustis
 legibus pacem composuit.

Populi interim diversi Justiniano con-
 foederati Christianam fidem amplexati
 sunt, quales erant Eruli, Blemii, Nabathæi
 Gordæ etiam Rex Hunnorum; Tzani fini-
 timus Armeniæ populus, Abasgi, aliique
 plurimi, ad Christum traducti; Athalaric-
 us Italiæ Rex sanctionem edit pro Roma-
 na Ecclesia, ne illius Clerici aliquali præ-
 textu ad laicalia tribunalia traherentur, ni-
 si fortè Romanus Pontifex litigantium pe-
 titionibus providere contemneret. Dis-
 cant ab Ariano Rege nostri sæculi Novato-
 res Clericalis dignitatis prærogativam
 observare.

Theodoricus & Clotarius Clodovei
 Francorum Regis filii bella gerunt contra
 Regem Hunnorum Hermenefridum, eum-
 que prælio superatum occidunt: & Clo-
 tarius quidem ex præda sibi obtingentem
 Rade

Radegundem, Celeberrimam postea sanctitate Reginam Bertharii, Germani Mene-
fridi fratris filiam captivam abducit, ac ve-
nientibus annis matrimonio jungit.

✠(528.)✠ Antiochia iterum terræ mo-
tibus concussa est, sed Dei ope subventum
est ne funditus periret, dum in visione qui-
dam hæc verba inscribere foribus iussus
est, *State: Christus nobiscum est: quicumq;*
hæc domibus suis inscripserunt à terræ
motu liberi perstiterunt.

✠(529.)✠ Concilium Arausicanum se-
cundum celebratum in Gallia de Gratia, &
de libero arbitrio contra Pelagianos & Se-
mi-Pelagianos. Sub idem tempus habi-
tum concilium Carpentoraetense & Va-
fense, utrumque Ecclesiæ valde necessa-
rium. Obiit S. Fulgentius Ruspensis Epi-
scopus sanctitate ac scriptis illustris, mo-
riturus hæc verba sæpius iteravit. *Domine*
da mihi modo patientiam, & postea indulgen-
tiam.

S. Benedictus Dei monitu relinquit
montes sublacenses & montem Casinum
petit, illustre sacrarium sanctitatis effe-
ctum ex Dæmonum & idololatriæ recep-
taculo.

Codex Justinianus absolutus & pro-
mulgatus est 16. Kal. Maii: liber justitiæ

sacrarum & rerum omnium publicarum
 Theſaurus, cui maximè laboravit inter vi-
 ros decem ad colligendum emendandum
 que conſtitutos Trebonianus quæſtor, om-
 nium ſui temporis eruditiffimus ſimul &
 avariſſimus, ſi non proſus impiſſimus: de
 eo enim Procopius & Suidas memorant
 pecuniæ ad miraculum avidum extitiſſe
 ideoque jus pretio vendere, ac præ aucto-
 ritate, quâ apud Juſtinianum pollebat, le-
 ges quotidie pro cujuſq; auctoritate ac-
 cepto pretio ad libitum vel condere ve-
 antiquare ſolitum. Addit Suidas fuiſſe
 Ethnicum & impium adeoque Juſtinianum
 adulatum, ut & perſuadere illi conatus
 eum non moriturum, ſed eum carne ad
 cœlum aſſumptum iri. Collectus eſt por-
 rō codex iſte Juſtinianeus ex tribus anti-
 quis Gregoriano, Hermogeniano & Theo-
 doſiano.

Sed quid auctoritatis habuit Juſtinianus
 in Eccleſiam ut ipſe leges fanciret de ele-
 ctione, Ordinatione, aſſiduitate Episco-
 porum & ſimilibus? *R.* Cum Juſtinianus
 homo omnium litterarum planè rudis e-
 ſet, par eſt credere omnes Eccleſiaſticaſ
 conſtitutiones à Juſtiniano divulgatas fuiſ-
 ſe Epiphani: Episcopi Constantinopolitani
 & ejus Succęſſoris Menæ, quas hi ſub no-
 minibus

Ab anno 520. ad 530.

29

mine Justiniani edi petiverunt, ut tanto validioris essent observantiæ. Præterea si quæ Justinianus sancivit, eadem ipse ad Patrum confirmandas regulas & stabilien- dos canones se agere consuevisse sæpius testatus est.

✽(530.)✽ Moritur Felix Papa & lo- cum relinquit Bonifacio, cujus nomen, quam vita, melius fuit.

Hildericus Rex Wandalorum à Gilime- re exiit regno & datur in vincula. Suf- ficitur idem Gilimeri. Justinianus enim reposuit Hildericum, & Gilimeri neganti indicit bellum.

Theodoricus Rex Francorum Gothos pellit è Gallia & S. Nicetium (à quo vitio- rum suorum sæpius acerrimè arguebatur) Ecclesiæ Trevirensi præficiendum curat. Cujus etiam censurâ correctus & emenda- tus Theodobertus filius Theodorici ac Successor meliori frugi redditus est.



DECAS IV.

✽ *Ab anno Christi 530. ad 540.* ✽

531. **B**onifacius contra antiquos Eccle- siæ Canones Successorem sibi ele- git sub specie justitiæ, ut Regibus Italiæ Romani Pontificis electionem sibi arro-

B 3

gan-

gantibus ejusmodi præsumptam licentiam eriperet, quod collectâ Synodo mox à cunctis Patribus atque ipso etiam Bonifacio improbatum ac rescissum est. Et quàm Deo displicuerit hæc Bonifacii præsumptio; videtur ex eo manifestum fieri, quòd hoc ipso anno Bonifacium ex hac vita subtraxerit, & Successorem dederit Joannem hujus nominis secundum qui cognomento dicebatur Mercurius & erat Patriâ Romanus filius projecti de Cœlio monte, ex Presbytero tituli S. Clementis creatus Pontifex.

Clotildis filia Clodovæi Francorum Regis & uxor Amalarici à marito (Catholici scilicet ab Ariano) crudeliter tractata mittit ad fratrem suum Childebertum sudarium suo sanguine infectum quam ignominiam & immanitatem vindicaturus Childebertus armatus Hispaniam subit, & Amalaricum in fuga comprehensum occidit, spoliisq; dives in Galliam redit, Clotilde in via diem obeunte.

Amalarico successit Theudes Gothus tutor, missus à Theodorico & nobili Hispana fretus conjuge, tyrannus effectus vir fortis & industrius.

Circa hæc tempora Dionysius dictus curius, natione Scythæ vir parvi corporis, sed

sed magni laboris, annorum nonaginta quinque feriem temporum non jam per Olympiades aut indictiones, sed per annum Christi nati, primò digessit.

✱(532.)✱ Justinianus jubet institui collationem inter Severianos seu Acephalos & Catholicos.

Origenistæ rursus in Palæstina comparerent, præsertim inter Pseudomonachos, ducibus Nonno & Leontio impuris Nebulonibus, qui multa acerbè & crudeliter egerant: sed id sua grassatione effecerunt, ut Origenes post annos ab ejus obitu fermè trecentos à Patribus modo in Synodo ad id congregata damnatus fuerit, cum hætenus esset aliqualiter toleratus, & nondum ab omnibus execratus.

✱(533.)✱ Constantinopolitani Monachi Accemetæ per legatos petunt à Romano Pontifice ut hanc sententiam damnaret *Unus de Trinitate passus est* quam Hormisdas Papa non quidem ut hæreticam, ut suspectam tamen proscripserat. Miserunt autem contra suos etiam legatos Epiphanius Episcopus & Justinianus, ut illa retineretur, quia Origenistæ & Nestoriani hac in re Hormisdæ jussione abuterentur, ad hæc litigia Joannes Pontifex è re esse judicavit sententiam differre, tempore ipsè & disceptationibus concoquendam. Ju-

Justinianus per Belisarium Ducem debellat Wandalos & Gilimerem Regem classe quingentarum magnarum navium & nonaginta Dromonum Carthaginem missa quam caeso utroq; Patre Gilimeris Amata & Zanzone, & Gilimere fugâ dilapso Romanis iterum subjecit postquam nonaginta quinq; annis à Wandalis occupata fuisset, creditur hæc victoria divinitus omnino data Justiniano cum tot tantisq; pietatis operibus divinum sibi Numen conciliasset, humanis enim viribus regnum adeo florens militum robore & opibus tam facile subjugari non potuisset.

(534.) Belisarius invidiæ hostium, que victor veterum more triumphat captivum in pompa ducens Gilimerem, quem in Numidiæ monte Papua dicto tribus mensibus obsedit & coepit. Gilimer cum in Hippodromo populum & Imperatorem videret exclamavit *Vanitas Vanitatum & omnia Vanitas*. Dedit Justinianus Gilimeri locum quendam in Galatia in quo cum propinquis degeret, Patricium autem illum non creavit, quia Arianam hæresin ejurare noluit. Fuit hæc victoria ingens rei Catholicæ emolumentum & incrementum per amplissimum Africae regnum turmatim ad Ecclesiam redeuntibus. Plurimis etiam
 Mau-

Mauris ad Christum converſis, pertinacio-
ribus autem & parere recuſantibus in par-
tes inferiores Africæ effugatis.

Convocatâ Romæ Synodo reſpondit
Joannes Papa rectè dici unum de Trinitate
paſſum, cum Chriſtus unus de Trinitate
dici poſſit, contra ſentientes Monachi
damnati, & res ita definita eſt, ut qui eam
non admitterent ut hæretici anathemate
ferirentur.

✽(535.)✽ Justinianus ſaluberrimas
conſtitutiones edit pro Eccleſiæ œcono-
mia, & Privilegium Romanæ Eccleſiæ im-
pertit de non præſcribendo contra eam
infra ſpaciū centum annorum.

Joannes Papa moritur & ſedem relin-
quit Suceſſori Agapeto patriâ Romano.

Defuncto etiam Epiphanio Conſtanti-
nopolitano Epifcopo Anthimus Epifco-
pus Trapezuntinus Eutylianæ hæreſis
ſectator occultus, artibus Theodoræ Au-
guſtæ intruditur. Et hic fons & origo
multorum malorum & cladum Imperato-
ri & univerſæ Eccleſiæ. Cùm plùs æquo,
quam decet Catholicum Principem, hære-
ticæ uxori obſecundavit.

Alexandriæ defuncto Timotheo hæreti-
co ejus locum occupârunt duo Acephali
Theodoſius corruptibilium atque Severi a

pluribus electus, & Gajanus discipulus Juliani & incorruptibilium sectator Clero & Monachis charus, à quibus aliæ adhuc sectæ prodiêrunt, quas dum Joannes Philoponus refutare conatus est incidit in errorem Tritheistarum.

Justinianus Gothos oppugnat in Dalmatiâ & Illyrico, & per Belisarium Siciliam recuperat, ad invadendam autem Italiam & Gothos eijciendos Francos in bellifœdus sibi conjungit, & fretus eorum auxilio orbem penè universum ab hæreticis immunditiis expurgat.

Romæ laboratur ab Agapeto de aperiendis scholis Theologicis & alendis publicis professoribus, occasione hæreticorum, adversus quoq; necessè videbatur per Catholicos Doctores, ea omnia quæ ad fidem Christianam pertinent, omni genere argumentorum vera firmaq; demonstrare.

HÆRESIS PHILOPONI ET TRITHEITARUM.

Philoponus Grammaticus limites sue Grammaticæ egressus & in disputationes de Sanctissima Trinitate sese immiscere ausus hinc tres Deos esse finxit, illinc Christi duas Dei hominisq; naturas in unam Eutychianâ confusionem commiscuit. Negavit resurrectionem corporum futu-

Ab anno 530. ad 540.

futuram, & scripsit librum adversus concilium quartum Oecumenicum.

HÆRESIS JACOBITARUM ET EORUM PRINCIPIS ZANZALI.

S Prus hic nebulo ex variis Eutychetis, Dioscori, Cnaphæi & Severi centonibus hæresin suam confarcinavit.

Primò SS. Trinitatem negavit, & unam tantum personam in divinis esse docuit.

2. Liberos dicebat inusto fronti aut genis cauterio esse circumcidendos, persuadens suis peccatum Origenis eo stigmate persanandum esse, & stultum suum errorem scripturæ verbis tatabatur, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne.

3. Eucharistiam sub utraq; specie infantibus quoq; & lactentibus impertiebat.

4. Sacerdotes Diaconos & Subdiaconos, simul omnes ad altare consistere volebat & unà communicare, exemplo, ut nugabatur, trium Regum qui Christo simul in præsepio munera obtulerunt.

5. Confessionem auricularem inutilem esse dixit, satis esse ratus soli Deo confiteri.

✱(536.)✱ Justinianus bellum movet adversus Theodatum Gothorum Regem, qui ut pacem obtineret ab Imperatore Agapetum coëgit legationem obire, ma-

gno Ecclesiæ incommodo, cum enim Pontifici ad faciendas expensas pecunia deesset, sacra vasa oppignorare necesse fuit, neq; tamen apud Imperatorem quicquam pro Theodato effectum est, misso cum magno exercitu Belisario in Italiam ad Theodatum cum Gothis suis expellendum.

Agapetus Authimum deponit de sede Constantinopolitana & Menam subrogat, moxque altaria Sacræ Sedis & velamina quasi Anthimi sacrilegi infecta flatibus sacris precibus publicè elui & expiari jubet.

Agapetus legatione suâ Constantinopoli perfunctus cum in Italiam reverti disponderet, ibidem è vita migravit, ejus verò corpus in loculo plumbeo Romam translatum est, moxque concilium Constantinopoli, & aliud Hierosolymis pro Menæ confirmatione celebratum.

Romæ audito Pontificis obitu Theodatus Rex Gothorum Silverium natione Campanum Hormisdæ quondam Papæ filium (ante Pontificatum scilicet ex legitimo matrimonio susceptum) contradicente Clero per vim ac metum Pontificem ordinari curavit, quem postea Clerus ad evitandum schisma recepit, approbavit, & subscripsit.

Cir-

Circa hæc Theodora Augusta Constantinopoli cum Vigilio Agapeti Diacono secreto egit, ut ipse promitteret, si in Papam eligeretur, à se mox Anthimum restituendum, quo promisso litteras ad Belisarium Vigilius à Theodora accepit, quibus mandatum erat, ut ipse Pontifex Romanus institueretur, Vigilio autem Romam veniente jam sedem Sylverius occupaverat.

Milites Ariani in Africa seditionem movent contra Salomonem Duce[m] Imperatoris Justiniani ob Ariana templa ipsis frequentari prohibita, quorum rabiem Salomon fugâ elusit, Stoza autem tyrannus à rebellibus Dux postulatus fastentavit.

✽(537.)✽ Belisarius Neapolim capit, quâ clade auditâ Gothi Theodatam, ceu virum ignavum interimunt, & Vitigem Ducem è Dalmatia accersunt, virum militiâ clarum, & fortem, eumque constituunt Regem.

Romani veriti, ne similem Neapolitanis cladem paterentur, Belisario ultrò se dedere, suadente sic Romano Pontifice, missoque, qui eum in urbem advocaret, nuncio, uno eodemque die per portam Asinariam ingressus est cum exercitu Belisarius, & ex adverso egressi sunt Gothi Ravennam
ituri

ituri, potitus autem urbe Belisarius, claves portarum tanquam victoriæ insignia Constantinopolim misit.

✽(538.)✽ Vitiges convocatis undique Gothicis exercitu centum quinquaginta armatorum Romam obsidet, quam fortiter oppugnatam per Integrum annū strenuè & feliciter Belisarius defendit, urbem tamen incolumem Apostolorum Petri & Pauli patrocinium magis, quam Belisarii virtus servavit.

Sylverius Papa, quia sic jusserat Theodora, per Belisarium ejicitur, ac mittitur in exilium Pataram, quasi Gothicis faveret, ideoque confictæ ad hoc illius litteræ. Vigilus pactus Belisario duos auri centenarios, & ab Imperatrice commendatus in ejus locum intruditur, Episcopus tamen Pataræ effecit apud Justinianum, ut Sylverius deduceretur Romam, ejusque litteræ excuterentur, ac si veræ essent, alterius civitatis Episcopus crearetur, si autem falsæ suæ sedi restitueretur: quod Vigilus veritus effecit, ut sibi à Belisario Sylverius redderetur, qui & eum in Insulâ Palmariâ exulem crudeliter detinuit. Interea ergo Pontificem egit Vigilus, & plerisque difficultatibus respondit, cùm tamen re ipsa Sylverius Pontifex verus esset.

Syl-

(539.) Sylverius in Palmaria Insula in Conventu quatuor Episcoporum damnat Vigilium tanquam Cathedræ Romanæ emptorem & inuasorem; à pluribus insuper Episcopis diversarum Ecclesiarum literis & auxiliis submissis, tanquam verus ac legitimus Pontifex honoratur, quare severiore deinceps custodiâ detentus, & inediâ maceratus, vitam ad annum sequentem extendit, omni morte duriores.

Visus est Deus injurias Summo Pontifici illatas variis cladibus vindicasse. Siquidem Hunni Istrum transgressi, Constantinopolim usque excurrerunt, unde prædam ingentem & 110. millia captivorum abegerunt. Cosrhoës quoque à Vitige sollicitatus pacem cum Romanis abruptit. Soluta quidem Romæ obsidio, quæ per annum duraverat, sed tanta inde fames sæviit in Italiâ, ut in uno loco mulieres stabulariæ septendecim hospites occiderint, & vorarint, à decimo octavo, cui necem parabant, interfectæ; multæ etiam matres filiorum artus in sua viscera rejecere, Famem excepit pestis, quæ superstites demessuit.

Mediolanum dirissimè à Gothis captum & excisum, cæsa in hac urbe numerabantur trecenta millia, sine ætatis discrimine.

Fœmi-

Fœminæ datæ sunt Burgundionibus pro
initâ secum belli societate. Reparatus, qui
defectionis ad Romanos auctor fuerat, mi-
nutatim concisus & voratus est à canibus.
Dacius Episcopus fugâ elapsus venit Con-
stantinopolim.

(540.) Sylverius in Insula Palma-
ria inediâ & pædore confectus obit, Mar-
tyr agnitus ab Ecclesiâ, cui Tyrannus pseu-
do-Pontifex fuit. Vigilus auditâ morte
& miraculis Sylverii, sponte reliquit quam
invaserat sedem. Clerus autem Romanus
veritus schisma eum elegit, satis intelli-
gens Theodori fraudibus & Belisarii vi se-
parem non esse: Legitimè autem electus
Vigilius statim in alium virum mutatus est,
non jam Theodoræ affecla, nec fautor An-
thimi, sed hunc percutiens anathemate, mi-
nas & illius furorem aspernatus.

Hoc anno Ravenna civitas cum Vitige
Belisario dedita est. Pauci tamen Gothi in-
de fugientes Theodobaldum Regem ele-
gerunt, qui Principatûs initio vix mille
Gothis stipatus postea Romanis metuendy
evasit.

Cosrhoës invasit hoc anno Syriam, &
multas urbes diruit, Antiochiam quoque
cepit, cives omnes occidit, domus om-
nes

Ab anno 540. ad 550. 41

nes incendit, ut sic igne & sanguine urbs de tot hæresibus in ea natis purgaretur.

Theodeberdus Rex Francorum ingentem exercitum in Italiam deducit, sed peste infectis copiis, plus militum perdidit, quam prædæ acquisivit.



DECAS V.

✿ *Ab anno Christi 540. ad annum 550.* ✿

541. **B**Elisarius revocatur ab Italia invidiâ ob res præclare gestas Justinianum stimulante. detulit ille secum Principes Gothos ferè omnes, cum Vitige Rege, & vim ingentem pecuniæ.

Adadus Auximitarum Æthiopum Rex obtentâ insigni victoriâ à Rege Homenitarum, Damiano Judæo (erat hic Christianus, sed à fide apostata) tinctus Baptismate sacro fit Christianus. S. Placidus discipulus S. Benedicti propè Meßanam cum multis monachis à Manutio piratâ martyrio afficitur.

Justinianus, dum Ecclesiasticorum vult vindicem agere, & prævaricationes eorum laicis Præfectis examinandas & puniendas permittit, contra fas nefasque Sacros Canones violat & conculcat.

Gothi

✽(542.)✽ Gothi post aliquot mensium breve regnum Ararico perempto Regi suo sufficiunt Totilam, qui bis cum exercitu Romano signis collatis vicit, & animū reddidit Gothi quem Romanis vincendo abstulit.

Childeberdus & Clotarius Francorum Reges contra Theudem Gothorum in Hispania Principem bellum gerunt, & Cæsar Augustam usque penetrant, unde nihil in Gallia reportarunt præter S. Vincentii tunicam in templo, quod postea S. Germani dictum est, repositam.

✽(543.)✽ Totila multis provinciis potitus, obsidet Neapolim, & capit. Miltior redditur monitis S. Benedicti, qui circa hæc tempora è vita decedit.

Belisarius adversus Cosrhomem Persarum Regem cum copiis proficiscitur, sed, lue grassante in exercitu, inglorius redit.

✽(544.)✽ Belisarius adversus Totilam Romæ imminentem, educit exercitum.

Sævit pestis ingens in Oriente ab urbe Pelusio orta, & sparsa per gentes malos humanâ specie hominibus apparentes, sedata Constantinopoli B.M.V. Patrocinio, unde 2. die Februarij festus dies Hypapantes exortus est, magnæ deinceps per totam Ecclesiam celebritatis.

✽(545.)✽ Belisarius crucem auream pre-

pretiosissimis gemmis exornatam centum
librarum per manus Vigilii Papæ S. Petro
cum aliis multis muneribus offert.

Edeffa per virtutem Imaginis S. Crucis,
quam ipforum quondam Regi Abgaro à
Christo Domino missam memorârunt &
honorârunt, à Cosrhois exercitu libera-
tur, didicitque incredulus hostis verum
esse quod fama sparserat Edeffam virtu-
te hujus crucis à nullo Christi inimico ex-
pugnandam.

✱(546.)✱ Totilas sævit in Episco-
pos, ac præcipuè S. Cerbonium Populo-
nii, quem Urso dilaniandum objecit, quòd
aliquos Romanos milites contra Gothos
custodiisset, cum verò Ursus intacto Epif-
copo pedes lambendo adularetur, ipse
quoque efferus tyrannus mitior factus
Episcopum veneratus est. Urbem dein-
de Romam obsedit & dirissimè cives vel
suæ lanienæ vel fami victimare omnibus
modis laboravit.

Vigilius Papa compositurus controver-
sias circa libellum contra tria Capitula or-
tas, venit in Siciliam, & ut ostenderet,
quàm bene erga Romanos affectus eßet,
inde multas naves frumento onustas Ro-
mam misit, quas Gothi interceperunt, &
vectoribus occisis Valentinum Episcopum

Can-

Candidæ sylvæ utrâq; manu truncârunt.
 ✱(547.)✱ Roma dirâ fame diu conflictatur, tandem aliquot Isaurorum militum, qui pecuniâ labefactati erant, prodicione capitur, hostibus per Portam Asinariam intromissis. Urbs direpta, cæsi pauci omnibus ad templa confugientibus, quæ tunc asyla fuerunt. Pugnatum deinde Belisarium inter & Totilam acerrimè, & vario eventu donec Belisarius aditum in urbem præripuit Totilæ, eamque sic muniit, ut seriùs venientem Totilam facillè repulerit.

Vigilius Constantinopoli perhonorificè excipitur populo accinente: *Ecce advenit Dominator Dominus &c.* Disceptatio de tribus Capitulis multùm agitata, ejusque solutio ad quintum Oecumenicum Concilium rejecta est.

Fuerunt autem hæc tria Capitula, quorum sæpiùs *Historia Ecclesiastica* meminit, tria illa postulata, quæ Theodorus Casareæ Cappadociæ Episcopus occultè Origenis defensor ad hujus damnationem vindicandam Justiniano dolosè proposuerat, primò ut damnationem promulgaret contra Theodorum Mopsvestenũ, cujus laudes (quæquam heretici) Synodus Chalcedonensis suscepisset; Secundò contra epistolam Iba Edesseni Episcopi, quam licet Nestorianam Synodus tamen Chal-

Chalcedonensis Orthodoxam pronuntiasset. Tertiò adversus scripta Theodoretì Cyri Episcopi, contra Cyrillum Alexandrinum, quæ tametsi auctor pro Nestorio edidisset, eundem tamen Synodus in communionem recepisset, suggestit itaq; fraudulentus Imperatori, si contra hæc damnationis sententiam ipse publicaret, fore ut Acephali Synodum Chalcedonensem facile essent suscepturi. Et hæc sunt illa tria Capitula Synodi Chalcedonensis, ex quorum damnatione à Justiniano incaute factâ plurima mala oborta, & Ecclesia longo schismate lacerata est.

✱(548.)✱ Romanus exercitus multis cladibus a Gothis afficitur in Italia, additumque ad alia damna, ut Sclavinorum exercitus transmissio Istro Illyricum occupavit.

Theudis Rex Gothorum in Hispania occisus est, cui Theodegisilus successit, ipse etiam post annum ac menses 7. occisus, quòd curiosius de fonte Baptismatis in Lusitania inquisivisset, ut ei fidem derogaret.

Miraculum porrò circa hunc fontem ita se habebat. Teste Gregorio Turonensi, quot annis in die Sabbathi sancti piscina priùs vacua ita sponte sua replebatnr, ut licet altiori cumulo huc illuc latices fluctuarent: haud tamen in partem diversam aqua deflueret; imò etiam consperso desuper

per

per sacro Chrismate, cum omnis populus exinde pro sua devotione hauriret, agros vineasque saluberrima aspersione tutatus, nunquam tamen cumulus diminutus est, quousque infante primo tincto, mox aqua reduci inciperet, & baptizatis omnibus lymphis in se reversis, uti initio incognito hæc fiebant, ita & sine ignoto desineret.

Floruerunt ad hæc tempora virtutibus & miraculis insignes duo viri, alter Barsanuphius in Ægypto anachoreta mirabilis, qui per quinquaginta annos in ædicula inclusus nec à quopiam visus est, nec quicquam alimenti sumpsit è terrâ & miraculis tamen plurimum inclaruit, Alter fuit Simeon Emissenus, cognomine Salus appellatus, qui piè stultitiam simulans ingentia edidit miracula in convertendis hæreticis & Judæis, nec non dæmonibus confundendis.

Theodora Augusta non multò, postquam à Vigilio anathemate perculsa esset, moritur.

Contigit eodem anno Joannis Cappadocis exitus, qui Consul quondam & præfectus prætorio ob suspicionem malignam bonis exutus Cizycum relegatus sumere Sacerdotium coactus est, cum verò Episcopum suum occidisset in Ægyptum exul deduc-

deductus in Antinoiam urbem, stipem ab obviis emendicare compulsus est, Neque tum spem Imperii posuit, quod ei à quopiam prænunciatum esset, Augusti habitu induendum esse. Infælix qui nesciebat, jam impletum esse vaticinium, cum enim Sacerdos fieret deficientibus vestibus ecclesiasticis, oblata est ei vestis quæ Sacerdotis cujusdam fuerat Augusti nomine.

✽(549.)✽ Belisarius ex Italia, ubi non pugnare, sed fugere postremis temporibus videbatur, precibus uxoris suæ revocatur & redit, planè inglorius posthac futurus, cum violentas manus in sylverium Pontificem injecisset, res etiam Imperii Romani in occidente penitus concidit Gothicis iterum tyrannidem exercentibus & Italiæ dominantibus.


Franci econtra Massiliam & totam in Galliis ditionem Gothorum obtinuerunt, à Gothicis sibi concessam, & à Justiniano confirmatam, atque exinde nummos aureos Principum suorum imagine notatos primi cudere inceperunt, cum id nec Persarum Reges, neque alii barbari Principes attentassent, sed id juris tantum Romano Imperatori reliquissent.

✽(550.)✽ Artabanes, Arfaces, & proceres nonnulli conspirant adversus Justinia-

stinianum, & actum fuisset de vita nisi motiones detectæ essent.

Gothi rursus Româ potiuntur prodicione Isaurorum, cujus destruendæ consilium iniierat Totilas, sed ab hoc proposito eum avertit S. Aurelianus Episcopus Arelatensis, & Childebertus Rex Francorum, cujus filiam sibi in uxorem postulabat.

Vigilius dicit anathema in Rusticum & Sebastianum Diaconos S.R.E. quorum operâ conflatum erat schisma, propterea quod Pontifex Eutychianus esset (erat hæc calumnia ab adversariis Vigilio impetrata) sed nihil profecit quin magis tumultum anathematis fulmen adauxit. Itaque de Concilio universali seriò cogitatum, quod Mopsvestiæ coactum est & Martiano comite domesticorum à Justiniano eò missum, quæsitum, an Theodorus Mopsvestenus fuisset unquam in Sacris Diptychis inter Catholicos adscriptus, & cum ejus loco semper nomen Cyrilli scriptum fuisset renunciaretur Vigilio & Imperatori, si aperta est via, ut is quoq; a Generali Concilio damnaretur, ejusque publicâ damnatione Catholicis omnibus pax redderetur.



DECAS



DECAS VI.

✽ *Ab anno Christi 550. ad annum 560.* ✽

551. **I**terum stragem patitur Romanum

✽ Imperium, Sclavinis Constantino-
polim usq; ferociter grassantibus, & classe
Imperatoria fœdo naufragio laceratâ in
faucibus maris Hadriani, Deo scilicet pu-
gnante contra Imperatorem qui impru-
denter Ecclesiam oppugnabat. Hoc enim
anno impellente Theodoro Cæsariensi
Imperator edictum emisit contra tria capi-
tula, cum tamen conventum esset ut de iis
usq; ad generale concilium taceretur. Zoi-
lum quoque Alexandrinum deponi iussit
substituto Apollinari, quod tria capitula
damnare noluisse. Quare Vigilius in pro-
ximam Ecclesiam S. Petri confugiens vo-
catis aliquot Episcopis, In Theodorum &
Mennam excommunicationis sententiam
protulit, sed non vulgavit, ut hi ejus metu
ad officium revocarentur.

✽(552.)✽ Vigilius Chalcedonem se
recipit metuens Imperatorem, eoq; fu-
giens à quodam percussus alapa, (nesci-
tur quis ille) homicida Sylverii vocatus
est. Imperator autem missâ honorificâ
C
lega-

legatione Pontificem Constantinopolim reducit, abolito, quod promiserat damnationis superioris edicto, quod nisi rescinderet Vigilus redire abnuebat.

Revocatione edicti reddita Ecclesiae & Imperio pax est, & Imperator poenitentem à Vigilio recepti sunt.

Narses Eunuchus ac Semivir, Dux egregius ita Gothos navali praelio victos Sicilia expulit, ut de ea recuperanda penitus desperarent.

Contigit hoc anno, ut puer Hebraeus emerit particulas Eucharisticas cum puer Catholicis, qui ideo ab impio patre vitriario in clibanum ardentem injectus ibidem post triduum illaesus inventus est, opere V. Mariae conservatus, qui cum matre baptizatus est. Pater autem obstinatus permanens, Justiniani jussu laqueo parricidiae poenas luit.

✽(553.)✽ Narses vir pius & equitissimus singulari ope Beatissimae D. Genitricis, à qua signum caelitus acceptum de tempore confligendi, Totam cum universo exercitu in Tuscia occurrentem superat, & occidit; cujus victoriae praerogativa fuere Roma & omnes poenae urbes Italiae, quae facili negotio victae se tanto victori

ri ful

ri submiserant. Theras quoque vir fortissimus Totilæ suffectus Romanorum vim tantisper sustinuit, sed demum & ipse cæsus plenam Narseti victoriam reliquit. Et hoc quidem consecutus est Justinianus, dum sibi imperari a Romano Pontifice passus est.

QUINTUM CONCILIUM GENERALE
Seu
CONSTANTINOPOLITANUM SECUNDUM.

OB Concilium hoc in causa trium Capitulorum actum Oriens pene universus distractus fuit & divisus in duas partes; Pars altera *Hæsitantium*, qui ea defendebant & altera *Synoditarum dicta*, qui ea damnabant. Quibus Eutychniani & Nestoriani se immiscebant. Volebat Justinianus solos Episcopos Orientales Judices esse hujus causæ, obsistebat autem Vigilus, qui etiam evicit, ut totius orbis Episcoporum auctoritate publicus tumultus tolleretur.

Interfuere igitur Synodo huic Eutychnius Constantinop. Apollinaris Alexandrin. Domnus Antioch. per legatos suos, Eustachius Hieros. Vigilus ægrotabat, & occidentales Episcopi expectati non sunt; quare deinceps Vigilus etiam interesse noluit.

luit. Actionibus octo terminatum est Concilium, damnata sunt tria Capitula, hoc est Theodorus, Mopsvesthenus, Epistola Ibae Edesseni, & Theodoretii Capitula contra Cyrillum Alexandrinum. Damnati Origenes & fautores ejus Didymus & Evagrius cum omnibus erroribus. Sed reclamavit Vigilus, ideo fune ad collum tractus est in carcerem, atque inde in exilium missus cum suo Clero, & quotquot sententia huic subscribere noluerunt, pessimè habitus sunt. Sed cum deinceps approbata fuisset Synodus à Rom. Pontificibus inter Oecumenicas relata est, uti prima Constantinopolitana, non tamen ejusdem auctoritatis cum quatuor prioribus, quia in his de fide, in illa autem tantum de personis actum est. Observandum tamen actum hujus Concilii mutilata fuisse, nec integrum ad nos pervenisse: maximè cum hæreticorum manus suas injecerint; ex quibus nihil sincerum exire potest.

✽(554.)✽ Vigilus ab exilio liberatus precibus Narsetis à quo Clerus Romanus id postulabat, sed cum prius damnationum trium capitulorum & quintæ Synodo subscripisset, non coactus, sed quia id rationi consentaneum judicabat, ne gratis ac sine fructu aliquid pateretur.

Vin.

Vincuntur Romani in Colchide à Colrhoë Persarum Rege magno detrimento Lazorum.

✽(555.)✽ Vigilius Romam rediturus in Sicilia Syracusis moritur ex calculi morbo, iusto Dei iudicio, ut in ea Insula ærumnis & morbo conficeretur, in qua Sylverium antecessorem coëgerat fame & pædore animam exhalare.

Assentiente Justiniano datus est Successor Pelagius qui ob suspensionem illatæ mortis Vigilio ab omnibus desertus est, ut vix duo Episcopi fuerint qui eum consecrarent, sed postea ab omnibus receptus, cum se coram Narsete ac toto populo Evangelio ac cruce supra caput positus purgasset, ac Simoniacos anathemate perculisset. Hoc factum Pontificatum ei tranquillum & populi amorem conciliavit.

Romanus exercitus quinquaginta millium armatorum a tribus millibus Persarum (veriùs à Deo ultore) fugatur & cæditur. In Perside sic Deus ultus videtur cædem Regi Colchidis Christiani & piensissimi à Rustico & Joanne Ducibus Rom. illatam.

✽(556.)✽ Pelagius Pontifex Quintam Synodum & damnationem trium Capitulorum approbat & confirmat, unde in su-

spicionem hæreseos vocatus est apud Francos, sed hæc purgavit se apud omnes Christianos ne suspicione læsi Capitis orbis universus offenderetur.

Justinus Dux Rom: Justiniani confanguineus datâ divinitus insigni victoriâ cum mille duntaxat equitibus Persarum ingentes copias fundit.

✽(557.)✽ Ingens terræ motus concutit Constantinopolim, cujus metu multi ad meliorem vitæ frugem rediêre,

S. Sophiæ templum perfectum est admirabilis structuræ ab Ignatio architecto ac Salomonico ferè par, in cujus mensuris omnes Orbis divitiæ confluisse videbantur.

✽(558.) Hunni Duce Zaberga depulata Scythiâ, Mæsiâ & Thraciâ Constantinopoli imminent, quos Belisarius tum armis, tum auro oblato Justinianus repressit.

Justinianus favet Circi factionibus & omnia passim scelera impunè grassari permittit, stolidâ inertîâ omnem gloriam suam obfuscans, ut propè in dementiam redactus Imperator videretur.

✽(559.)✽ Moritur Pelagius Papa, & in ejus locum successus est Joannes III. cognomento Catellinus patriâ Romanus.

Ab anno 550 ad 660.

55

✽(559.)✽ Justinianus gravi morbo laborat, jamq; mortuus creditur, inde magna seditio Constantinopoli excitata, ædes mercatorum direptæ & quasi in urbem captam sævitum est: sed per miraculum a tactu reliquiarum quatuor Sanctorum militum Martyrum, quæ nuper inventæ erant, è mortis faucibus ereptus & sanatus est, & cum eo pariter urbi reddita tranquillitas.



DECAS VII.

✽ *Ab anno 560. ad annum 570.* ✽

561. **B**elisarius implicat se conjurationi ✽ **B**adversus Justinianum, quâ detectâ eò infelicitatis & inopiæ deductus est, ut oculis prius orbatus mendicare cogeretur his verbis, *date Obolum Belisario quem fortuna clarum fecit, & invidia excæcavit.* Et quidem justo Dei judicio hæc facta sunt ob ea quæ in gratiam Theodoræ Augustæ contra Sylverium perpetraverat.

✽(562.)✽ Defuncto Childerico Francorum Regi succedit Clotarius, qui Parisios veniens, cum non satis coluisset S. Germanum in gravem morbum incidit, atq; ejus tantum veste attactâ sanatus, didicit

C. 4

post-

posthac eum ut Patrem revereri, sanctum quoq; Maurum & ejus monasteria multis bonis cumulavit, & vicissim majora beneficia recepit.

Aurelius Cassiodorus uti quondam apud Gothos Reges usq; ad Vitigem honoribus & præfecturis clarus, sic postea laboribus ad divinum obsequium in monasterio, quod ipse extruxit & locupletavit, gloriose conversis illustrior, plenus annorum & meritorum ex hac vita decedit.

✽(563.)✽ Justinianus Imp. incidit in hæresin Aphthardocitarum, seu Incorruptibilium, ex qua nati sunt Monothelitæ, corruptus à Theodoro Cæsariensi multorum malorum architecto: Cùmque ad eandem invitaret omnes Episcopos, illi, fortiter se opponente Anastasio Sinaita Episcopo Antiocheno, in recta fide atque constantia, illius exemplo, retenti, nullis minis cessere.

Priscillianistæ in Synodo Braccarensi oppressi, in qua statutum, ut clerici ad vitandam suspensionem hæresis olera carne concocta prægustarent, non quod id Ecclesia, sed tempora exigent.

✽(564.)✽ Justinianus hæreticus persecutionis Orthodoxæ Ecclesiæ primum impetum facit in Euthychium Episcopum
Con.

Constantinop. quem falsò magnorum criminum accusatum per milites de sua sede extraxit, & Anaseam ad monasterium transportandum curavit. Substituens Joannem cognomento scholasticum, adulatorem aulicum & gratiæ imperatoriæ aucupem vaferrimum, & talem in omnibus, cujusmodi pastoribus hæretici confidere consueverunt.

Clotarius Rex Francorum filium suum Charamnum rebellem & cum Patre confingere ausum, victum & captum cum uxore & filiabus, à quibus ad rebellionem incitabatur, in tuguriolo rustico vivum combussit, supplicio Principe indigno, & eò indigniore, quòd à patre imperatum sit.

S. Medardus Noviomensis Episcopus vivere desit, cujus corpori humando ipse Clotarius humeros pheretro subjecit. Frater hic fuit S. Gildardi Episcopi Rothomagensis, quos eodem die natos, Episcopos consecratos, & mortuos (non tamen eodem anno) memorat S. Audoënus.

✱(565. ✱ Justinianus repentinâ morte mediâ nocte extinguitur, Imperii sui anno 38. cùm Anastasio Sinaitæ Antioch. Epif. exilium jam indixisset. Scribunt multi, & quidem antiqui impœnitentem, scribunt recentiores pœnitentem mortuum

esse, id Dei iudicio & tribunali altissimo relinquendum est. Fuisse fordida avaritiæ virum, probant subditorum æquè per se, quam per magistratus, ac divitum præcipuè, per impacta falsa crimina expilationes, & cum sordidis etiam hominibus contumeliosi lucri societas, & quot novas leges constituit veteresque restituit, tot ad extorquendam pecuniam retia extendisse videtur. Cæterum non refugit Ecclesia ea, quæ ab eo justè sancita sunt, tenere & sequi, sicuti econtra quæ per fasque nefasque servanda præcepit, meritò respuit.

Successit in Imperio Justinus Secundus Duleissimi filius ex Vigilantia sorore Justiniani, sic iubente & urgente senatu.

Clotarius Rex Francorum moritur, iterumque in quatuor Tetrarchias regnum divisum est; Charibertus Parisiis, Childerbertus Sueffionibus, Guntheramnus Aureliis, Sigebertus Remis sedem fixere. Sic divisa Francia sine dubio periisset, nisi Deus ad unum Principem, ut servaret longius, revocasset.

Picti populus in Britannia septentrionali ad Christum à S. Columbano convertuntur.

Hoc anno grassata est pestis atrocissima Inguinaria dicta, quæ antequam locum aliquem

liquem inficeret, præcedebant signa per domos, ostia, vasa, vestimenta, quæ quò magis abluebantur, tantò fortius inhærebant; Refert S. Gregorius de puero quodam armentario, quòd hac lue correptus, subitò arcanâ quadam vi raptus in cœlum, donum linguarum acceperit, qui tertiâ die post brachia lacertosque suos & manus dentibus dilaniavit, & ita extinctus est.

✽(566.)✽ Justinus curam gerit Ecclesiæ, & ad pacem communem Ecclesiæ servandam disceptationem altercantium Episcoporum inhibet, a quibus primò animi ac postmodum etiam corpora sejungi consueverunt. Avaros quibus Justinianus annuam pensionem numeraverat, rejecit, per Photinum Belisarij privignum turbas Alexandrinas sedavit, pacis tum domesticæ tum externæ conciliator. Sed mirum potuisse simul cum his virtutibus, magna quoq; vitia copulari, ut quam bonus fuit Imperator tam malus esset civis, avarus qui præfecturas, imò & Sacerdotia auro venalia faceret, mollis, & obscœnus aded, ut non puderet eum promulgatâ constitutione sancire, legitima rata & consummata, matrimonia posse mutuo consensu conjugum dissolvi: pœnas insuper à Justiniano adversus illicita conjugia silere voluit.

✱(567.)✱ Justinus Imperator sub larva
justitiæ sævit in nobiles & Senatores quos
falsò accusatos suppliciiis afficit. Justinum
quoq; cognatum suum invidia & furore
actus Alexandriam deportari jubet, ibiq;
noctu miserè in lecto interimi conspiratio-
nis cujusdam insimulatum, neque potuit,
ipsius & Sophiæ conjugis suæ furor ante
restingui, quam in caput ejusdem Justin
Alexandriâ ad se delatum calcibus insul-
tassent.

Circa hæc tempora refertur Narses Dux
belli fortissimus malè a Sophia acceptus,
& quia Eunuchus lanam in palatio cum
puellis nere jussus, interminatus est Augu-
stæ telam quam nec ipsa nec ejus maritus
retexerent. In hunc finem Alboinum Re-
gem Longobardorum evocasse in Italiam
quâ deinde potiti sunt annos supra ducen-
tos; in Narsetis autem locum missus est
Longinus homo paratior ad accipiendam
quam ad inferendam cladem. Narrat Gre-
gorius afflictum Italiæ statum ante Longo-
bardorum irruptionem S. Redempto Epi-
scopo Ferentinati prodigiosè manifesta-
tum esse. Apparuisse enim noctu S. Euty-
chium Martyrem & ter hæc verba repeti-
isse, *finis venit universæ carnis*, quibus ver-
bis

bis non quidem sæculi consummatio significabatur, sed Italiæ clades & ruina.

Quod de Narsete dictum, id valde verosimiliter Baronius a Narsete pietate & fortitudine celeberrimo Duce removet & ab alio potius ejusdem nominis hanc telam contextam esse, aut vulgi inanem fabulam esse prudenter suspicatur, hoc certum est, parasse hoc anno Longobardos expeditionem, multis signis & ostentis divinitus prænunciatam.

✽(568.)✽ Alboinus Longobardorum Rex, Francorum amicitia fretus & Hunnorum societate potens, & a Saxonibus, Bulgaris, aliisque barbaris adjutus irrumpit in Italiam, non eam occupaturus, sed desolaturus, tantumque terrorem omnibus iniecit, ut de vita potius omnes quam de bello cogitarent, maximè cum bello Longinus præesset, neque belli neque pacis tempore in hac præfectura tolerandus.

Sophia Augusta Constantinop: auditis pauperum clamoribus, omnes ære alieno impeditos ad se accivit, & eorum debita creditoribus dissolvit: dignum Christianam foeminam facinus. Justinus quoque Imperator advocatis præfectis suis denunciavit, ut abstinerent ab omni injuria, & pauperum oppressione, vel alterum eligerent

Impe-

Imperatorem, se enim rapacibus nolle Imperare. Constituit post hæc severissimum urbis præfectum, & per istum uno è sublimioribus magistratibus è medio Imperatoris convivio vi abstracto, & verberibus affecto, caputq; raso, & nudo, super asinum per mediam urbem deducto, ac denique bonis, omnibus spoliato (quæ viduæ de ejus injustitia conquerenti, addita sunt) reliquos in officio continuit, & severum judicem amplissimis honoribus & perpetuâ urbis præfecturâ nobilitavit.

✽(569.)✽ Tiberius Comes excubitorum hoc anno illustri victoriâ Avares superavit, & ostendit Justino hanc gentem Romanis non esse metuendam, si illi a bono Duce regerentur,

✽(570.)✽ Hoc anno Longobardi instar incendii per Italiam decurrentes omnia depascunt, Roma & Ravenna tantum eorum furorem vitârunt, reliquæ urbes & castra ferè omnia depopulata sunt.

S. Germanus Episcopus Parisiensis, nihil reveritus coronam Regiam, in Charibertum ob inceastas nuptias anathematis fulmen torquet.

Moritur Paulinus Episcopus Aquileiensis, cui nomen Patriarchæ inditum, non tantum quia Metropolitanus erat, ut sicut
Archi-

Ab anno 560. ad 570.

63

Archiepiscopus Episcoporum sic & Patrum Princeps & primas diceretur) sed quia Schismatici sic Principem suæ sectæ, vocare soliti essent. Cùm autem Episcopi Venetiæ, Istriæ ac Liguriæ, revulsi essent à summo Pontifice in causa trium capitulorum, & Paulinus his omnibus præemineret, idem Patriarcha nuncupatus est, qui titulus veriùs præteritæ culpæ quam dignitatis est.



DECAS VIII.

✿ *Ab anno Christi 570. ad annum 580.* ✿

571. **A**lboinus post triennem obsidionem Papiam capit, sed ab ejus direptione absterretur miraculo equi in medio portæ concidentis, nec ullâ arte exurgere valentis.

Paulò post cum regnâset in Italia annos tres operâ conjugis suæ Rosimundæ, cui Veronæ in Convivio in granio Patris ejus Curimundi Regis vinum propinârat, interfectus est: Hæc enim furore correptâ Helmingem armigerum suum & Peredecum ad eum cædendum incitat, etiam corporis sui ad libidinem copiâ factâ: peractâ cæde fugit cum suo Helminge, Rayennam ad
Lon-

Longinum ubi etiam illi, suadente Longino, nupsit; Sed cum illa marito medicatum poculum præbuisset, hic venenum suspicatus, eam reliquum haurire coëgit, & sic ambo paulò post mortui poenas libidinis & crudelitatis à se invicem exegere. In locum Alboini successus est Clephis non diu regnaturus.

✽(572.)✽ Joannes Papa moritur, cui subrogatus est anno sequente, cum sedes vacasset menses decem & ultra, Benedicto Papa, cognomento Bonosus, patria Romanus. Causa tam diu vacantis sedis fuisse bellici tumultus.

Moritur Charibertus Francorum Rex à Germano Episcopo adhuc anathemati subditus, & impœnitens ob incæstas nuptias sed & alio percutiendus anathemate ob villam S. Martini ecclesiæ ereptam.

Anastasius Sinaita à Justino Antiocheno sede expellitur, accusatus de profuso inutiliter sacro thesauro, ne à Justino Imperatore diriperetur. qui tamen post exilium viginti quatuor annorum temporibus Mauriti Imperatoris suæ sedi iterum restitutus est. Gregorio monacho etiam de monte Sina interim subrogato.

Incolæ majoris Armeniæ in ditione Persarum propter fidem malè vexati à Cosroë

rhoë missis ad Justinum legatis Romano Imperio se dedunt, & Persas Præfectos trucidant.

✽(573.)✽ Occiso à servo suo Clephe Longobardorum Rege triginta sex Duces partiuntur Italiam dirissimè sacra profanaque omnia commiscentes, & extremo exitio pessundantes. Singulis ex rapinis regnum sibi potentiùs vindicantibus.

Hoc anno Franci & Hispani altercati sunt de die paschatis celebrando. Franci quidem decimo quarto Kalendas Maji celebrârunt: Hispani autem duodecimo Kalendas Aprilis. Pro Francis stetit cœlum, quando in die sabbathi sancti fontes baptismales divinitus repleti sunt aquâ apud Francos, non autem in sabbatho sancto apud Hispanos.

✽(574.)✽ Imperium Romanum magnis cladibus atteritur, totâ ferè Syria à Persis & Avarum copiis depopulatâ: quæ strages adeo afflixit Justinum aliâs vertigine jam laborantem, ut in phrenesin incideret, Meminit quoque Gregorius Turonensis, quod passus aliquando magicas incantationes divino præsidio curatus sit capiti suo fræno Constantini appposito, cui insertus erat unus ex clavis, quibus Christus in cruce suffixus fuit.

sepul-

Sepulchrum S. Martini variis miraculis inclarescit, & sæculum hoc viris sanctis Euphronio & Gregorio Turonensibus Episcopis mirificè illustratur in Occidente, & Oriente S. Simeone Stylita, qui in columna quoque magna edidit miracula.

Samaritæ hærerici repullulant in Syriâ, & ferociter grassantur in imagines Christi & Sanctorum.

✽(575.)✽ Tiberius Comes excubitorum a Justino sic suadente Sophia ob morbos Cæsar creatur, qui regendo tanto Imperio non imparem se præbebat, nec ille aptiorem Justinus eligere potuit.

Longobardi barbariem suam effundentes in Gallias & Burgundiam à Mummulo Patricio Duce Guntheramni Regis ad interuersionem deleti sunt, in quo prælio Salonius & Sagittarius duo fratres Episcopi armati loricâ & galeâ (ejusmodi monstra tunc primùm cœpta sunt videri) multos manibus propriis interfecerunt, fortius quàm eorum dignitas patiebatur.

✽(576.)✽ Guntheramnus, Sigebertus & Childebertus fratres bello civili & copiosi sanguinis effusione Galliam dilacerant. Neque à Congregatis in Synodo Parisiensi Episcopis efferati fratrum animi placantur, qui tamen quando minimè spe-

raba-

rabatur virtute S. Martini reconciliati
quieverunt.

✽(577.)✽ Benedictus Papa Romæ
moritur, cui Successor electus est Pelagius
secundus patriâ Romanus, filius Wiligildi,
idque Imperatore inconsulto, quia Roma
tunc obadebatur à Longobardis, & Italia
tota cædibus & flammis fumabat.

✽(578.)✽ Defuncto Joanne Episco-
po Constantinopolitano S. Euty chius post
multorum annorum exilium à Tiberio
gloriosè revocatur & sedî suæ restituitur,
quam etiam miraculis illustravit.

✽(579.)✽ Moritur Justinus II. Impe-
rator cum Orientem rexisset annos trede-
cim, & novem mensibus relicto Successore
Tiberio Constantino, qui statim redegit
in ordinem Sophiam Augustam, quod hæc
Justinianum Justini nepotem ad Imperium
evehere conata esset, quoniam Tiberium
viderat salutâsse Anastasiam Augustam uxo-
rem suam, sed occultam, credebat, enim
Sophia Tiberium cœlibem esse, ideoque
eum promoverat spe nuptiarum, sed &
his, & dignitate propter animi impoten-
tiam excidit. Tiberius autem increpavit
duntaxat Justinianum eumque deinceps
dilexit, & copiis Persicis præfecit, quia
admonitus erat in somnis, in ejus Imperio
tyran-

tyrannos nequaquam emerfuros. Quod etiam eventus edocuit. In Gallia recrudescit bellum Guntheramno & Chilperico in Sigebertum conspirantibus. In atrocissimo prælio Theodebertus filius Chilperici cæsus est. Sigebertus quoque artibus Fredegundis uxoris Chilperici per Sicarios eum secreto alloqui fingentes, gladiis veneno illitis interemptus est, cui filius Childebertus, successit paternam cædem dissimulare coactus. Mærovæus filius Chilperici ducit Brunehildem consanguineam suam & incæstas nuptias etiam armis contra patrem defendit. Sed victus & captus attonso crine Presbyter ordinatus & in S. Martini monasterium relegatus est, unde fugit ad Ecclesiam S. Martini, ubi etiam communionem à Gregorio Turonensi extorsit, & asylo defensus est, sed misso milite à Childerico, cum sibi reformidaret & monitus esset, sibi perniciem imminere, fugit ad suam Brunehildem (filia hæc erat patru sui Sigeberti) sed non receptus ab Austrasiis, & Princeps infelix & malus Presbyter fuit.

✱(580.)✱ Prætextatus Episcopus Rothomagensis de tribus criminibus falso à Fredegunde confictis accusatus, spe veniæ consequendæ, & ut pœnas torturæ declinaret

Ab anno 570. ad 580.

69

naret ea turpiter & falso confitetur. ideo post dira verbera in exilium relegatus est. Sed & Merovæus volens à suo familiari cæsus est, ne in manus inimicorum suorum incideret, eò nequissimæ Fredegundis artibus inductus.

Hoc anno Bojarii à S. Ruperto Episcopo Wormatiensi ad Christum conversi sunt.



DECAS IX.

✻ *Ab anno Christi 580. ad 590.* ✻

581. **C**Osroës bello victus à Justiniano & Mauritio Ducibus Romanis, præ mœrore extinguitur, decreto prius emisso ne Persæ unquam Romanos laceferent. Successit ei filius Hormisdas.

Antiochia & Constantinopolis publico populi tumultu exagitatae sunt propter Anatolium plebejum hominem, qui malis artibus præfecturas consecutus est, & Antiochiæ hostias secretò immolare deprehensus est, qui cum liber a iudicibus dimitteretur, populus zelo Divinae gloriae ipsum quoque Gregorium Episcopum Antioch. de sceleris participatione accusavit, quare Justinus Anatolium Constantinopolim deducit.

ductum torturis subiecit, sed contra Episcopum nihil expiscari valuit, igitur ex illi sententiâ conscios sceleris damnavit, quam lenitatem tam indignè tulit populus, ut adversus ipsum Imperatorem tumultuaretur, eumque impelleret ad conscios omnes tanti sceleris flammis adjudicandos. Anatolius verò bestiis in amphitheatro primò expositus ac dilaniatus, deinde in crucem actus fuit, cujus deinde corpus lupi membratim devorârunt. Addit Evagrius, cum Anatolius coram quadam imagine B.V. in carcere preces fundere vellet, eam veluti sacrilegum detestatam penitus illum à se abjecisse, & ipsam Deiparam fidelibus nonnullis tum Antiochiæ tum Constantinopoli apparuisse, ac contra scelerum concitasse.

✽(582.)✽ In Concilio Gabillonensi duo milites Episcopi Salomus & Sagittarius homicidii, adulterii, & perduellionis accusati & depositi sunt.

✽(583.)✽ Jussu Imperatoris Tiberii liber quidam de S. Eutychii Constantinop. Episc. de resurrectione mortuorum contra gentiles & hæreticos editus, flammis exuritur, quia Origenis errorem inferuerat, quo negat resurrectionem futuram in carne palpabili: non tulit hanc ignominiam

am Eutichius iniquo animo, sed deposito errore, quem ex ignorantia admiserat, maluit famam quam fidem perdere, qui & moriturus, cum a S. Gregorio invisere-
tur, pellem carnis suæ tenens, *Confiteor in-*
quiebat, quia omnes in hac carne resurgemus:

Eutychio successit Joannes Seminator, homo hypocrita, qui ut ventre erat flacci-
do, sic animo erat tumido, & hac ipsa su-
perbia incitante fugit ex simulatione, ne
Episcopus fieret, & sic latuit, ut tamen
videri posset, & Episcopus fieri vellet.

Moritur Tiberius, cum solus quatuor
annis regnasset, & Mauritium ob res præ-
clare gestas Cæsarem creasset. Cui & no-
men suum impertivit, ut Mauritius Tibe-
rius cognominaretur, & filiam suam Con-
stantiam conjugem dedit.

Fredegundis furia Francica maximè sæ-
vit hoc tempore, variis suorum necessario-
rum cædibus expians sitim suam sangui-
nolentam.

Sæviit quoque in Catholicos Levigildus
Arianus in Hispania, cujus barbariem &
Guifunthæ furorem præ cæteris fortissi-
mè sustinuit Ingundis Giseberti filia calci-
bus usque ad sanguinem ab avia sua Gui-
funtha Levigildi uxore appetita, quæ ta-
men his injuriis non ita animo fracta, ut
Her-

Hermenegildum filium Levigildi, maritum suum Christo lucrifacere non omnibus viribus allaboraret. Qui etiam conversus, cum pararet pugnare in patrem Græcis in auxilium evocatis legatione per Leandrum Hispalensem initâ didicit fidem Catholicam meliùs patientiâ, quàm armis conservari.

✽(584.)✽ Pelagius ab Imperatore Mauritio auxilium petit contra Longobardos, quem in finem Mauritius ad Childeberdum Francorum Regem legatos cum pecunia misit, sollicitans eum ad bellum contra Longobardos suscipiendum, cum verò Childebertus parum liberaliter in his ageret, ducibus discordibus in Italiam missis negotium discussum est, & Longobardi furere perrexerunt.

✽(585.)✽ Longobardi principes, ne distractis principatuum viribus demùm omnia perderent, dimidium bonorum suorum in fiscum ac Regios usus conferunt, & Clephis ante decennium occisi filium Regem sibi constituunt, dictum Autharich, qui Flavium se appellavit, quo nomine deinceps omnes Longobardorum Reges usi sunt.

✽(586.)✽ Quidam Græci cum interprandendum in Deiparam Virginem con-

vija

vitia jecissent, subito à malis spiritibus correpti pœnas dederunt.

Philippicus Dux Orientis (cui Mauritius sororem suam Gordiam in matrimonium junxerat (insignem consequitur victoriam per Imaginem Salvatoris nostri, quam Christus Abgaro Regi Edessæ misisse fertur : hæc victoria Persas cum omnibus magis suis repressit, & pudore suffudit, horum enim vaticinio ad præliandum stimulati jam spe Romanos milites, & infinitam prædam devoraverant.

Schismatici Istrii propter tria capitula damnata nullis adhibitis à Pelagio machinis averti possunt, quin dissimulato tantisper proposito, eidem tenaciter adhæserint.

✠ (587.) Joannes Constantinopolitanus Episc. arrogat sibi nomen Oecumenici in Concilio Constantinop: in quo Gregorius Antiochenus factione Asterii comitis Orientis de multis criminibus accusatus à suis Antiochenis absolutus est, ideò à Pelagio reprimatur, & omnia hujus concilii acta præter absolutionem Gregorii irritantur.

Contigit terræ motus ingens Antiochiæ, quo Deus ultus est Gregorio illatas injurias, Asterius enim Virginem uxorem
D ducens

ducens oppressus est cum multis in celebritate harum nuptiarum exultantibus, & Gregorius licet domus ejus corrueret, incolumis tamen emerfit.

Fredegundis cum Landerico Majore domûs turpiter volutata, Chilpericum inuito consilio cum adultero suo perdere parat. Quod & factum, dum enim ex venatione nocte jam obscurâ veniret, à Sycariis confossus impiam animam reddidit Rex sui sæculi vel Nero vel Herodes: habuit namque & suam Herodiadem. Reliquit post se parvulum quatuor mensium regni hæredem; quod Fredegundis in præmium facinoris sui administravit.

✠(588.)✠ In Hispania recrudescit persecutio Levigildi Ariani adversus Catholicos, quâ in exilium expulsi S. Leander & Fulgentius fratres Episcopi multiq; interempti, quos inter præstantissima vixitima Catholicæ veritatis cecidit Hermenegildus filius Leovigildi qui dum in carcere ex Ariani manu communionem capere recusaret, jussu parentis securi percussus est, & Ingundis ejus uxor, cum filio parvulo à Græcis erepta, ut ad Imperatorem deduceretur, in Africa obiit. Extensa est eadem persecutio Ariana in suevos multis martyrio affectis, donec à Reccaredo
fra-

fratris potius sancti, quam impii parentis imitatore multorum sanguine & exiliis empta pax Ecclesiæ reddita est.

✽(589.)✽ Guntheramnus ulturus mortem Hermenegildi & Ingundis, grandem exercitum inmisit in Septimariam. Cum verò milites ejus profanarent ecclesias & nefanda multa perpetrarent, sexaginta illorum millia à trecentis viris, qui eis cum Claudio Lusitano Duce occurrerunt, fugati & trucidati sunt. Noluit enim Deus Martyres suos à militibus, iisque grassatoribus ultos esse.

S. Prætextatus Rothomagensis Episcopus Fredegundem Francicam Jezabelem reprehendens, ejus jussu in ecclesia sua orans per Sicarium trucidatur.

Ingens hoc anno fuit Tiberis exundatio & serpentum magna copia ejecta, inter quos instar trabis unus inventus est, qui cum ad littus maris projecti computruissent, coorta est pestis toti Italiæ fatalis, sed & fluvius Athesis in Italia supra modum excrevit, cujus aqua cum ascendisset usq; ad templum S. Zenonis Veronæ, illud tamen patentibus portis non subiit.

✽(590.)✽ Pestis sævissima grassatur in Italia, sagittis de cælo cadentibus præ-nunciata, quâ etiam correptus Pelagius

occubuit, cui invitus totius populi & Cleri consensu S. Gregorius suffectus est: qui datis ad Imperatorem litteris confirmationem suam (quam sibi tunc temporis Reges Gothi & Imperatores etiam pecuniæ summâ persolutâ tyrannicè arrogabant) impedire conabatur, sed pios ejus conatus elusit Præfectus urbis Germanus, qui litteras Gregorii interceptit, & suas econtra ad Mauritium misit, quibus eum monebat, nihil perditissimis illis temporibus opportunè fieri posse, quàm ut vir tantæ sanctitatis atq; doctrinæ confirmaretur. Quod & facile fuit Imperatori persuadere, qui Gregorio Constantinopoli jam ante familiariter usus erat, & compatrem habere voluit in suscipiendo ex Baptismi lauacro filio ex se genito, Cùm igitur litteræ Imperatoriæ venissent Romam, latebras quæsit Gregorius, sed indicio columnæ lucidæ pendentis è cælo detectus, & magno more in sede collocatus est. Pecuniam tamen Imperatori pendi solidam persolvit, non ut emeret Pontificatum, sed ne ab Imperatoris præfectis impediretur obire munus suum. Sicque hæc pensitatio non dignitatis sed vexationis redemptio fuit. Posthæc Gregorius ad pestem avertendam litanias & supplicationes instituit ex omni

Ordi.

Ordine & sexu, & cum Imago B. M. Virginis publicè deferretur supra ipsam molem Hadriani visus est Angelus recondere gladium in vaginam in signum cessantis pestis quæ per sagittas prænunciata fuerat.

Guntheramnus Rex Francorum piissimus peste in Italia sæviante multis precibus, jejuniis, & eleemosynis populum suum à lue exemit, dignus etiam ut fimbriæ vestimenti eius attactu puer à febre sanaretur, & per ejusdem nominis invocationem sæpius larvæ fugarentur, qui & appetitus à quodam Sicario vulnerari non potuit: quem morte mulctari noluit, sed tantum verberibus, eò quod in Ecclesia captus esset.

Obiit hoc anno S. Radegundis multis miraculis clara. Franci incitante Mauritio Imp. adversus Longobardos exercitum eduxerunt, sed nihil præter prædas retulerunt, & morbis pene consumpti in patriam redierunt, cum præsto non fuissent Orientales, Græcâ fide auxilium polliciti.

Obiit Rex Longobardorum Antarith, dictus, ab aliis Aphthacarius. Reccaredus succedens Patri Levigildo in Ariana hæresi defuncto Catholicus factus omnes suos ad Christum perduxit. In Persia Hormis-

das Persarum Rex à Varame rebellante in
custodiam datus & excæcatus, ejusq; loco
filius Cosrhoës regnare jussus, qui cum ad
Patrem cibos mitteret, & is oblatos con-
culcaret, fustibus ad mortem usq; Patrem
cædi jussit: cum verò Cosrhoës exemplo
Patris non saperet, à Varame appetitus
bello ad Mauritium confugere coactus est
à quo magnificè exceptus etiam regno re-
stitutus est.



DECAS X.

✽ *Ab anno Christi 590. ad 600.* ✽

591. **C**osrhoës restitutus est regno per
✽ Narsetem incruentâ victoriâ po-
titum, minimè tamen Cosrhoës conversus
est, sed Namaanes Princeps Saracenorum
cum suis omnibus ad Christum accessit ma-
gno Mauriti Imperat. gaudio & solatio.
Memorable illud, quòd inter Persas
multi etiam Turci captivi ad Mauritium
deducti crucis signum fronti inustum præ-
tulerint, & causam hujus ab Imperatore
interrogati responderunt, ita se à Christi-
anis edoctos, id signum contra luem ve-
luti certum amuletum gestare.

S. Gregorius constitutionibus & decre-
tis

tis munit & ornat Ecclesiam, præsertim moribus Sacerdotum illibatis eorumq; cælibatu sine macula fervando: unde Novatores velut aranæ venenum pessimum abominabilis calumniæ confecerunt, dum ex conficta ab aliquo imperito defensore conjugii Clericorum Epistola nomine S. Udalrici Augustani Episcopi ad Nicolaum Papam mentiuntur cùm aliquando Gregorius uxores Clero suo decreto ademisset, & paulò post jussisset ex piscina sua pisces capi, Piscatores sex millia capitum infantium suffocatorum reperisse, & cum eana cædem intelligeret Pontifex, ex occultis fornicationibus Sacerdotum natam esse, continuò, illud suum decretum revocasse: hæc dum jactant heterodoxi ostendunt se mentem quoque cum fide perdidisse.

Agilulphus Rex Longobardorum per uxorem suam Theolindam ad Catholicam fidem conversus & in baptismo Paulus vocatus, totâ ferè potitur Italiâ, Româ & Ravennâ exceptis.

Fuisse his temporibus in usu ut in solenni dedicatione Ecclesiarum fierent agapes in quibus pauperes epularentur, patet ex Epistola Gregorii ad Petrum Diaconum scripta pro dedicatione Oratorii S. Mariæ

celebranda. Pro qua dare jubet ad erogandum pauperibus *in auro solidos decem, vini amphoras triginta, annonæ modios ducentos, olei oreas duas, vervecis duodecim, gallinas centum.*

✱(592.)✱ S. Gregorius providet negotiis Ecclesiæ totius orbis, & Mauritio Imperatori renovare volenti legem illam Juliani Apostatæ, ne quis miles nondum expleto militiæ tempore fieret monachus ita prudenter & fortiter se opponit, ut neque Cæsari quicquam, neque Deo detraxerit.

Tunica S. Joannis Evangelistæ Romana perlata multis miraculis clarescit, siccitatis tempore pro pluvia & tempore inundationis pro siccitate impetranda publice exponi solita.

✱(593.)✱ S. Gregorius Papa scribit hoc anno suos Dialogos interlocutore Petro Diacono, quem a pueritia sibi amicitiae usu intimum habuit, & in solitudinem illam secum assumpsit, in qua scribendi occasionem nactus est.

Discolæ duæ moniales Regiæ Chrotildis filia Chariberti Regis, & Basina filia Chilperici sub S. Radegunde Regina Professæ in Monasterio Pictaviensi magnas turbas excitant, mortuâ namq; Radegunde
jugum

jugum Leuboveræ Abbatisſæ excuſſerunt, in ipſam ac Episcopos per ſceleratos ſuos ſatellites ſævientes, quare excommunicatæ ſunt, pluribus hæc ſuper inſolentia Synodis habitis: & Baſina quidem veniam tandem petiit, & Abbatisſæ ſe ſubjecit, Crotildis autem obtentâ communionem extra monaſterium vixit indigna cæteris virginibus adnumerari.

Cajanus ſive Chaganus Hunnorum Rex in Thraciam irrupit, & virtute ac armis Priſci Ducis à Mauritio cum exercitu miſſi repellitur.

Hoc anno tunica Salvatoris noſtri JEſu Chriſti in Zaphat non longè ab Hieroſoly- ma confeſſione Simeonis Judæi inventâ & in eandem civitatem tranſlatâ à Gregorio, Thoma & Joanne Patriarchis Antiocheno, Hieroſolymitano, & Conſtantinopolitano, ac publicæ venerationi expoſita eſt.

✠(594.)✠ Anaſtaſius Sinaita ſedi Antiochenæ poſt obitum Gregorii reſtituitur.

Conſtantia uxor Imp. Mauritiæ petiit à S. Gregorio caput S. Pauli Apoſtoli collocandum in eccleſia, quam ædificavit, quod Pontifex negavit, veritus miracula in reliquiarum translatione fieri ſolita. Polli-

citus tamen est quid de catenis, quibus vinc-
tus fuerat S. Paulus: ex quibus, cum quo-
tidie aliquid limâ abraderetur, non im-
minuebantur tamen, factæ quodammodo
ex tanti viri contactu immortales.

(595.) Gregorius Papa repressit
audaciam Joannis Jejunatoris, qui se Oe-
cumenicum nominare ausus erat: quod di-
cere, asseruit Pontifex, idem esse, ac fidem
perdere.

Agilulphus Longobardorum Rex ag-
rum Romanum scdè vastavit, quia exerci-
tus Romanus Longobardis urbem eripue-
rat. Petiit igitur Gregorius a Mauritio,
ut pacem cum Agilulpho componeret.
Sed Mauritius id Gregorii simplicitati ad-
scripsit: factum tamen est precibus Grego-
rii, ut Roma tunc intacta servaretur, &
Pontifex suis viribus irrideret potentiam
Longobardorum.

S. Gregorius, ut Anglos ad fidem con-
verteret, multos ex Anglis adolescentes
emi curavit, qui in monasteriis institue-
rentur, quos propter dignitatem & ele-
gantiam vultûs ad id muneris magis ido-
neos aliquando futuros judicabat, Ange-
lis quàm hominibus similiore.

Excitatus hoc anno in Gallia per pra-
vum dæmonem homo quidam Bituricen-
sis,

sis, qui dum in sylva ligna cæderet, diaboli nequitiâ muscarum agmine circumfessus, indeque amens redditus, biennio propinquas urbes pervagatus est, ac demum Arelatensem ac Gabelitanam regiones adiit, ibique indutus pellibus quasi religiosus, & acceptâ a dæmone vaticinandi atque sanandi potestate, Christum se esse dixit, assumptâ secum quadam muliere, quam Mariam vocabat, cumque jam ingens multitudo eum sequeretur, Episcopis, qui eum adorare despiciebant, minas & vim facere intentabat; adversus quem Aurelius Episcopus vellavenfis strenuos viros emisit, qui Pseudo-Christum in medio suorum, quibus ambiebatur, confoderunt; Maria autem suppliciiis supposita omnes ejus præstigias manifestavit.

✠(596.) Mortuo Joanne Jejunatore Episc. Constantin. hypocritæ tumidissimo successit in sede vir optimus Cyriacus, qui Gregorio Pontifici Romano statim se submitit ex nominibus suis titulo Oecumenici à Gregorio prius expuncto.

Damnatus est error eorum qui putabant Christum ad inferos descendentem omnes qui eum confessi essent, liberâsse.

Augustinus mittitur cum sociis in Angliam, & despondens animum, reversusque

Romam iterum remittitur à Pontifice ad negotium tam arduum præclarè animatus.

✽(597.)✽ S. Augustinus cum sociis ab Edilberto Anglorum Rege in ejus metropoli Doroverna, postea Cantuaria dicta, benignè exceptus est. Rem Christianam mirificè promovente Berthâ ex regio Francorum sanguine Christianâ, Rex convertitur, & in die natali Christi decem millia sacris aquis eluuntur. Et sic sanctus Augustinus jam antea factus à Gregorio Episcopus luculentum gregem sortitus est.

✽(598.)✽ Fœdus cum Longobardis ad tempus cuditur, Gregorio sollicitè per Episcopos suos invigilante, ne fœdifragi homines fide datâ abuterentur.

Guntheramnus Francorum Rex piissimè moritur relictâ unâ filiâ Clotilde, & adoptato Childeberdo, qui à Brunechilde matre instigatus, statim bello Clotarium I. tutore suo destitutum oppetiit; sed callidè obstitit Fredegundis, hæc enim in exercitu portavit filium suum, eumque Francis ostentavit, tam aptâ oratione, ut pro puero mori non dubitarent.

Celebris hoc tempore miraculis & sanctitate vitæ Theodorus Siceota ex monacho factus Episcopus Anastasiopol. cum à suis odio se haberi videret, à Cyriaco Constantin-

Constantinop. & Mauritio dimissionem & reditum ad monasterium obtinuit, postquam filium Imperatoris à lepra sanasset.

Monasterio Classensi in diœcesi Ravennate constituto, hoc anno Gregorius privilegia varia concessit, occasione vexationis ab Episcop. eorum locorum inflictæ; similem causam alia quoque monasteria, quæ ab Episcopis supprimi cœpta, à successoribus Pontificibus privilegiis munita & vallata sunt.

Multa fiunt miracula per oleum S. Crucis, erat ille liquor ex ligno S. Crucis Hierosolyma Constantinopolim translato sub Heraclio è nodis illius ligni transfudans.

✽(599.)✽ Reccaredus Rex Hispaniæ & Gregorius Papa mutuis se muneribus & legationibus honorant.

S. Gregorius podagrâ laborare cœpit, iisdemque doloribus confictantem S. Leandrum Hispalensem Episcopum missis litteris consolatur. Unde meritò redarguendi sunt, qui voluptuosos ex podagræ doloribus redarguere audent, siquidem copiosus confici posset catalogus illustrium sanctitate virorum, qui hoc malo cum S. Gregorio confixi fuerunt quo ab hac tempore ferè semper lectulo affixus in infirmo corpore valere sanam mentem sapienter ostendit.

Mor-

Mortuus est Childebrandus Austrasie Rex & hæres Guntheramni unâ cum uxore Fateuba non absque suspitione veneni à Brunechilde propinati: hujus sub tutela relictum est regnum Theodorico & Theodeberto: & sic Franciæ universæ regnum duabus non tam fœminis, quam furis mortalibus subiectum fuit Brunechildi, & Fredegundi, quæ postrema non diu superstes vixit, graves scelerum pœnas in altera vita de pensura.

✱(600.)✱ Slavini barbari Palabundi pervadunt Istriam, Italiam quoque tentantes. Gajanus, autem Avarum Rex Forum-Julii insidiis Romildæ Agilulphi Ducis relictæ cepit & combussit. Romildam verò dignâ impudicitiae ejus pœnâ afficiens publicè palo infixit, quòd spe Regiarum nuptiarum civitatem prodidisset: cujus filiae matri multùm dissimiles, ne ab Avaribus contaminarentur, crudorum pullo- rum carnes sibi inter mamillas sub fascia posuerunt, quibus ex calore putrefactis, ejusmodi fœtorem Avares naturalem esse opinantes abstinerunt. Eadem verò venundatæ per diversas regiones tandem castitatis coronam receperunt, una Alemannorum Regi, altera Bojariorum Principi nupta.

Cha-

Chaganus cum S. Alexandri Martyris templum incendisset, & reliquias contumeliosè tractâisset, inguinariâ lue ita mox punitus est ut uno eodemque die septem ejus filii & magna pars exercitus extinguerentur. Facinus autem planè fœdum & luendum Mauritius tunc temporis commisit. Cum enim Chaganus obtulisset Mauritio singulos captivos uno nummo postea quatuor siliquis redimendos sordidus Imperator hanc conditionem recusavit, quo exacerbatus Chaganus magno numero omnes captivos interemit: propter quod facinus gravibus pœnis Deo vindice postmodum Mauritius punitus est.

Instituta est posthæc legatio ab exercitu Persico ad Mauritium, contra Priscum Ducem, in qua cum Phocas decurio paulò liberius Imperatorem alloqueretur ab uno Patriciorum alapâ percussus est, evulsâ etiam barbâ, quæ ignominia multas turbas & ipsi Phoco imperium peperit.

HÆRESIS PETRI APAMEENSIS.

*P*seudo-propheta hic tantâ furebat dementiâ adversus Sanctos, ut bruta sua fulmina anathematis in eos palam vibraret. Eorum imagines exosus prorsus abolevit, sacrilegè confregit & combussit. Sanctorum nomina ex ecclesie tabulis erasit. Hominum religiosorum Deo
sacra

sacra domicilia, vi effracta, caesis, captis, fugatisque incolis meretriculis replevit, & castimonie templa in scortorum fornices commutavit.

HÆRESIS MONOTHELITARUM,
MONOPHYSITARUM, ÆGYPTIORUM,
& SCHEMATICORUM.

DE Tritheitarum somnijs emerfit hæc prodigiosa secta. Licet enim Philoponus assereret, in Christo duas naturas unitas, negavit tamen per unionem eas duas stare, sed in unam misceri assererat. Unde Monophysitæ, nec non Monothelitæ sunt appellati, eoquod unicam in Christo voluntatem admitterent, qui etiam teste S. Damasceno Ægyptij & Schematici appellati sunt.

HÆRESIS BARSANIANORUM,
Sive
SEMIDALITARUM.

HI Principe Barsanio quodam Gajanitarum & Theodosianorum deliria additis novis profitebantur. Similam eis, quæ à Dioscori discipulis afferebatur, admiscebant, eamque summo digito apponebant, & farinam tritici degustabant, idque pro sacrificio probabant. Neque publicè eorum oblatio fiebat, sed Dioscori symbolis relictis similæ tantum admiscebant, quantum esset consumptum, idque ipsis in communione parte numerabatur.

HÆRE.

HÆRESIS TETRADITARUM.

Conveniunt in omnibus cum Severianis & Severitis.

HÆRESIS CHRISTOLITARUM.

Hi Christum corpore & animâ apud inferos relictis, Divinitate solâ in cœlos ascendisse somniabant; ex qua Christi dissolutione Cyrinolarum nomen sunt sortiti.

HÆRESIS CONONITARUM.

Horum Dux Conon Archiepiscopus Alexandrinus è Severianorum, Theodosianorum, Tritheitarum erroribus suam chimeram conflavit.

HÆRESIS CONTOBABBITARUM.

Hæc Secta trahit suum nomen à loco, in quo nata est, cujus proprium erat nullum Episcopum habere: quam Anarchiam multi ex novatoribus hodie dum imitantur.



SÆ-